Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Daniel Cramer

Schola Prophetica, Articulorum Symboli Apostolici e Prophetis excerptorum : De Jesu Christi Incarnatione, Ministerio, Passione, Morte, Sepultura, Descensu ad Inferos, Ascensione ad coelos, Sessione ad Dexteram Dei, Missione Spiritus sancti; In Qua Methodo Hunniana exponuntur gravissima Vaticinia octo

[1] : De Semine Mulieris, Genes. 3. vers. 15. De Semine Abrahae, Genes. 12. vers. 3. 22. v. 18. De Propheta Magno. Deut. 18. v. 15. De Isaaco immolando, Genes. 22. v. 1. De Serpente aeneo, Num. 21. vers. 6. Totus Psalmus decimus sextus. Totus Psalmus Centesiumus decimus. Et de Missione Spiritus sancti, Joël. 3. vers. 1.

Hamburgi: Hamburgi: Bibliopolium Frobenianum: Langius, 1606

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767502272

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn767502272/phys_0001
DFG

Ded. 382 p
Pr 478 p
Pr 515 p
} ad &c.

CRAMERI
Scholæ Prophetieæ
pars
I. II. III.

52a. 11.

F. C – 3860 (1.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn767502272/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767502272/phys_0003
DFG

SCHOLA PROPHETICA,

Articulorum Symboli Apostolici è Prophetis excerptorum:

De

JESV CHRISTI

INCARNATIONE, MINISTERIO, PASSIONE, MORTE, SEPVLTVRA, Descensu ad Inferos, Ascensione ad cœlos, Sessione ad Dexteram DEI, Missione Spiritus sancti.

In Qva Methodo Hvnniana exponuntur gravissima Vaticinia octo:

Loc.

1. De Semine Mulieris, Genes. 3. vers. 15.
2. De Semine Abrahæ, Genes. 12. vers. 3. 22. v. 18.
3. De Propheta Magno. Deut. 18. v. 15.
4. De Isaaco immolando, Genes. 22. v. 1.
5. De Serpente æneo, Num. 21. vers. 6.
6. Totus Psalmus decimus sextus.
7. Totus Psalmus Centesimus decimus.
8. Et de Missione Spiritus sancti, Ioël. 2. vers. 28.

A

Daniele Cramero D. Pastore Ecclesiæ & Professore Pædagogij Stetinensis.

Hamburgi, ex Bibliopolio Frobeniano.

Anno CIↃ. IↃC. *VI.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767502272/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academicae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767502272/phys_0006
DFG

REVERENDIS
HVMANISSIMIS
ET DOCTISSIMIS
Viris, Dominis

M. MARTINO Gerſoni, Præpoſito, & Paſtori Sagardenſi;
M. ALEXANDRO Rungio, Præpoſito, & Paſtori Gingſtenſi;
M. JACOBO Fabro, Præpoſito, & Paſtori Bergenſi;
M. JOACHIMO Lemnio, Præpoſito, & Paſtori Poſericenſi;
M. JOHANNI Weſſelo, Paſtori Wihenſi;
M. JOHANNI Rungio, Paſtori Alten-Kirchenſi;
M. JACOBO Bruwero, Paſtori Trentenſi:

REGENTIBUS ET COLLIGENTIBVS ECCLESIAM DEI, quæ in celeberrima Inſula Rugiæ eſt, Dominis Affinibus Amicis & Fratribus meis in Chriſto honorandis.

S. D. P.

NON

DEDICATIO.

NON dubito, Reverendi, Humaniſsimi, Doctiſsimiq; Viri, Fratres in CHRISTO JESU, quin multi ad primum ſtatim aſpectum tituli, quem huic meo Commentario præfixi, aduncum ſint ſuſpenſuri naſum, & nubilosè frontem ſuperciliumque caperaturi. Scribo enim me Methodo Hunniana vaticinia hæc Prophetica tractâſſe.

Quantus autem Theologus fuerit D. ÆGIDIUS HUNNIUS beatiſsimæ memoriæ, quis eſt qui in Germania ignorat? Bone Deus, quantum in hoc præcone Dei acumen, quàm profunda ſcientia rerum ſacrarum, quanta judicii dexteritas, & memoriæ promtitudo: Imò quanta & linguæ elegantia; quàm concinna & accurata Phraſium & Epithetorum in Dictione textura, quàm rotunda & plana rerum aliàs intricatarum expeditio, quam nervoſa docendi, diſputandi, concionandi vis & facultas: quibus præclaris

donis (ut cætera omnia taceam) liberaliter Deus, hoc suum Organon, in propriam divini sui numinis & nominis gloriam, & Ecclesiæ singulare incrementum, etiam proprio Adversariorum nostrorum, sive illi Calvi sive Rasi sint, testimonio non tantum ornavit, sed illustravit. Nihil me gratiæ dare, dicet omnis, si quæ futura est, in cujus manus scripta ipsius immortali laude triumphantia venerint, posteritas, rumpantur ut ilia Momo.

Quid ergo? méne (dicent) tantum Virum æmulari? méne meipsum tanto Doctori æquiparare? Sic enim præ lippitudine animi quam livoris flavedo offundit, accipient, intelligent, interpretabuntur, quod in titulo pollicitus sum Methodum Hunnianam: sic novo & inaudito vocabuli usu, Methodus Hunniana significabit illis solertiam, Eruditionem & totam Minervam Hunnii. Quasi ego tantæ sim dementiæ, qui contra Divi Apostoli Pauli edictum calcitrare velim aut possim, qui jubet Rom. 12. v. 3.

Μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, ἑκάστῳ ὡς ὁ θεὸς ἐμέρισε μέτρον πίστεως.

Secus qui de me senserit, se quovis stulto

insaniorem esse, confidenter, me fidejussore, statuat, nôritq; me hasce suas sannas, quoquo demum modo comparatæ sint, scuto Dei & bonæ conscientiæ fretum, non æstimare unius pili asinini. Conviciatorum enim calumniæ (Giesuitas dico) quibus hactenus me cerbereis faucibus allatrârunt, tam mihi aures reddiderunt surdas & obesas, ut Sycophantæ sive tinniant sive hinniant, sive crepent sive strepant, sive rideant sive rudant, non plus audiam quàm scopulus undas. Verba enim non ladunt, si quis contemnat.

Vobis autem & cæteris bonis, etiam me tacente longè aliud, quod Methodi Hunnianæ mentionem præmitto, voluisse videbor, sat scio. Et quod res est, toti Mundo constare volo, quod hujus Viri me discipulum profitear, quodq; mihi ex animo gratuler, me tanto Præceptore per triennium usum fuisse, & ab ipsius ore pendisse. Et multi, me longè auctoritate & annis majores, hanc eandem laudem, si vera fateri volent, huic Theologo mecum tribuere cogentur. Itaq; Minervæ meo Præceptori rependere volui, vel hac ratione, ut vestigia ipsius legendo, Methodum seu Ordinem illum, quem non legi tantum, sed audivi

divi in omnibus Commentationibus constanter ab ipso observari, Junioribus etiam in mea Professione, quantum in me est, redderem commendatiorem. Hanc enim Methodum convenire maximè Cathedræ Scholasticæ fatebuntur illi, qui non turbata per αὐθάδειαν lance rem omnem accuratè perpenderunt. Et agè conquirantur, congerantur, legantur, relegantur, non tantum Theologorum, sed quorumvis Scriptorum ὑπομνήματα, quibus textum vel Autorem aliquem in manus sumunt Commentario illustrandum, quid hi aliud agunt, vel amplius agere possunt, quam ut & Dictionem & Rem enucleent, evolvant; & auditori exponant, primò, quid Autor dicat, deinde porismate colligant, quî id quod dixit conferendum sit in usum? Seu quod idem est dicere, ut Paraphrasin tractent, & inde excerpant Locos communes. Quæ Methodus seu docendi via, tam vetus, tam accommodata est, ut per Naturam docentibus data esse videatur. Memini me puero Terentium & Homerum sic explicatum esse, ut posti λέξεως examen, subjicerentur Loci communes, ad animum in moribus & virtute formandum utiles. In quibus & similibus Autoribus fateor,

λέξεως potiorem habendam esse rationem: in cæteris autem, maximè verò in Libris ad S. S. Theologiam nostram pertinentibus, nisi quis oleum & operam perdere vult, utriusq; : uti plenius in libello meo de τρόπῳ παιδείας θεολογικῆς demonstravi.

De cætero autem, quod hunc meum Commentarium attinet, viva voce eundem Iuventuti nostræ, quæ in hoc Illustri Pædagogio S. Theologiæ militat, tradidi publicè, & selegi potissima & celebratissima Vaticinia, quæ speciatim, pro ratione dierum Festorum, secundum præscriptum Agendorum nostrorum in Pomeranicis & vicinis Ecclesiis extraordinariè explicari ad populum solent. Illa seligere & in illis Tyrones nostros exercere volui, siquidem ex hac Schola, inde à multis annis, tanquam ex equo Trojano subinde prodeant, qui ad operas Ecclesiasticas & Scholasticas, etiam si clariores Scholas adire per inopiam non possint, utiliter adhibentur.

Cur autem easdem hasce meas opellas publici juris facere voluerim, unius Julii Drusi Publicolæ exemplo vobis breviter ostendam. Cupiebat is ædes suas sic perspicuas esse, ut omnibus pateret, quid intus fieret. Nam cum in-

incommodi loco reputâſſet faber, quod ædes ipſius proſpectui vicinorum undiq; paterent, idq; ſe levi quinq; talentorum ſumptu correcturum eſſe polliceretur, Druſus contra reſpondit, Imò ſe decem talenta daturum, ſi ſic perviam & perſpicuam domum ſuam redderet, ut non tantum vicini, ſed & omnes urbis incolæ, quomodo domi ſuæ viveretur, perluſtrare poſſent.

Memorabilis Druſi hæc ſententia eſt, & cuivis bono viro dicta, ſic agere, ut cuiusq; judicium ſuſtinere poſsis. Inprimis verò Theologorum hoc eſſe debet, qui Eccleſiæ & Scholarum munus gerimus. Nam non tantum ædes, ſed præcipue Eccleſias & Scholas noſtras, omniumq; Eccleſiaſticarum & Scholaſticarum operarum momenta, in propatulo nos habere convenit, ut qui in Dei, Magiſtratus, & totius Eccleſiæ conſpectu nos verſari ſubinde cogitemus. Iccircò quicquid legendo, docendo, ſcribendo, inter privatos parietes meditamur, id tale eſto, ut non tantum præſentium ſed & futurorum & abſentium conſpectui & judicio quovis tempore ſubjici poſsit. Eſt enim ingenii vel fallacis vel perverſi lucem fugere, tenebras amare, angulum quærere; ut aperti contra

& honesti est, lucem amare, tenebras & angulum aversari. Idq; vel potissimum in Doctrinæ & Fidei professione, quæ talis esse debet, ut nullius Tyranni, nedum alicujus Momi aut Argi lynceos oculos vel tantillum exhorrescat: juxta illud Petri ἕτοιμοι ἀεὶ πρὸς ἀπολογίαν. 1. Pet. 3. v. 13.

Et sanè Doctrinæ & Fidei genus, quod in Pædagogio hoc illustri & tota Urbe, imò tota Provincia Dei gratia viget, per se ita comparatum est, ut non Diaboli, nedum ullius hominis virgulam Censoriam reformidet. Conforme id enim est illis Reformatis Ecclesiis, quæ post S. Scripturam Veteris & Novi Testamenti, Augustanam Confessionem & Formulam Concordiæ profitentur & amplectuntur. Et sub medio Sole est, tum temporis cum negocium hoc Formulæ Concordiæ subscribendæ tractaretur, subscriptionem (per errorem nescio quem) in his terris suspendisse, non dissonantiam fidei respectu Ecclesiæ, sed modum agendi respectu Politiæ, ne sibi quid patrocinii de nobis hoc nomine promittant adversarii.

Ut igitur juxta Regulam Petrinam redderemus & nos pro nostro modulo rationem

formæ

formæ Doctrinæ, quæ in nostris Ecclesiis Dei beneficio nunc sonat, & quæ Juventuti nostræ & Ecclesiæ in his terris à nobis proponitur, visum fuit hanc Scholam Articulorum fidei toti Ecclesiæ Dei legendam & judicandam edere: quàm Propheticam appellavimus, quia ex Prophetis textus mutuati sumus, & scimus fundatam esse in scriptis Prophetarum & Apostolorum. Sumus enim & nos οἰκεῖοι τοῦ θεοῦ, ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν. Eph. 2. v. 20.

Et eandem illam fidem quoq; in tota vestra RUGIA sonare, meritò habemus quod nobis gratulemur, & unà vobiscum immensas Deo gratias agamus. Quanta olim ante jacta fundamenta Christianismi barbaries regnârit in hac vestra regione, testatur Hermoldus, & diximus ea de re in Chronico nostro uberius, ubi Sacrificia Suantovito, quæ quis esset ipsi ignorabant, fiebant. Et nõ tantum Deus passus est illic plantari Ecclesiam semel, sed & hisce ultimis temporibus maturè accendit per totam hanc Insulam, quæ viginti septem Pastores Ecclesiarum liberaliter sustentat, lucem Euangelii per D. Lutherum illustrati: in qua luce, Deus rectè à vobis agnoscitur, invocatur, &

Veræ

vera via ad Cœlum, per fidem in Jesum Christum, populo aperitur. Ita Deus in hac Arctoa Insula, quæ ob multos proventus toti viciniæ clara & chara est, dilecta sua tabernacula fixit. Hic Avicula (quæ est Ecclesia) invenit domum, & hirundo nidum, ubi ponat pullos suos. Psal. 84. v. 4. ut ex Esa. cap. 31. v. 9. dicere possimus: Dixit Dominus, cujus ignis est in Rugia, & Caminus ejus in hac Insula.

Neq; si vos aquæ marinæ divulserunt à nostra terra, ideò & Fide divulsi estis: Omnes enim nos unum sumus in Christo Jesu. Gal. 3. v. 28. Et quos disjungit locorum distantia, arctissimè conjungit unius fidei Consonantia: Vera enim illa necessitudo est, & Christi glutino copulata, quam nõ utilitas rei familiaris, non præsentia tantum corporum, non subdola & palpans adulatio, sed Dei timor et divinarum scripturarum studia conciliant, scribit Hieronymus Paulino. In qua ut semper fixi firmiq; maneamꝰ, vigilandũ nobis strenuè est, et orandus Deus, ut is à limitibꝰ nostris vestrisq; depellat lupos, qui insidiantur suo gregi.

Tritum & experientia famaq; teste decantatum est, Insulam vestram hoc habere sibi peculiare, quod Olympus Macedoniæ mons

&

& Insula Creta, de quibus Plinius lib. 8. c. 58. scribit, quod non habeant Lupos. Adde quod vestra Insula neq; lupos ferat neq; mures majores seu glires. O magna felicitas vestrarum Ecclesiarum, si nec illa, (ut spero aut saltem opto) vel inter Docentes vel Auditores habeant Lupos & Glires. Sunt illi, Giesuitæ lupi, Calviniani glires. Illi enim aperta vi, furore lupino, ferreis dentibus, ignitis oculis, rabioso rictu, rapacibus unguibus, collo sanguisugo, sine pudore, sine metu invadunt oviculas Christi: Hi mordacitate clancularia irrepunt horreis, & absumunt messem. Memorabile est quod idem Plinius de Gliribus prodit, quod somno pinguescant: me Christe, si vigiles Ecclesiæ ministri, somno & securitati se dedant, nihil est quod magis saginet & nutriat hos mures. Sed & hoc memorabile est quod idem addit: Glires si candidi provenêre, lætum facere ostentum. Ecastor, res tum minori cum periculo est, si hi glires (de quibus nobis sermo est) candidi appareant, si candidè agant, si candidè fidei suæ latentis rationem reddant, apertè fateantur qui sint, qui non sint, an nobiscum faciant, nec ne? O optatum Candorem sed rarum in his gliribus, qui non sunt can-

candidi, sed nigri in fide & confessione. Malum! Sed ut ut sint, ad Lupos abigendos canibus & cassibus opus est, ad glires capiendos muscipula.

At verò nolo vos, Reverendi, Humanissimi, Doctissimiq; Viri, quid hîc vestri sit officii monere amplius, ne currentib⁹ calcar addere, vel de vestra pietate et vigilãtia dubitare videar. Quod unicum restat, rogo, ut hanc meã Scholam Propheticam omnes et singuli æquo animo accipere, boni æquiq; facere, in timore Domini legere, judicare, usurpare & vestris Symmystis & confratribus in Christo Iesu, (quos omnes ex æquo hoc ipso calamo humaniter saluto) de meliori nota commendare non dedignemini.

Æternus & omnipotens Deus, Domini nostri IESU CHRISTI pater, sanctificet vos omnes in veritate sua, & impleat benedictionibus suos legislatores, ut eamus de Virtute in virtutẽ, militemus bonam militiam, retineamus fidem & bonam conscientiã. Amen. Datum Stetini Anno 1605. in feriis Pentecostes.

Vestrarum R.
Frater in Christo
Daniel Cramerus D.

DN.

DN. DANIELI CRAMERO SS. THEOL. DOCTORI SCHOLAM PROPHETICAM EDENTI

Est, fateor, stultum Dominis servire duobus;
Et cuivis promtè pendere servitium:
Deservire bonis, ceu vilis turba, caducis;
Æternumq; animo quærere depositum.
Hoc est vesano piscarier æra jactu,
Venari aut jaculo littora vasta maris,
Sed tamen hæc multas vexat dementia mentes,
In stadio hoc pulsant sæpè duces lituos.
Qui extricare Dei secreta timenda popello
Adsistit, duplex detegit hic studium.
Pontifici summo dat vectigalia mentem:
Exercet studios hunc modò venter edax:
Fœnoris expositi mentem dispendia torquent,
Conflictusq; feros edit uterq; DEVS.
Tu CRAMERE cales meliori pectora thyrso;
Omnis in æthereo dum tibi cura DEO.
O CRAMERE, Scholæ Sidus. Lux magnaq; cymbæ,
Quam regit hoc mundi, LVX PATRIS, in pelago.
Quin animi seges uberior documenta ministrat,
Quod tibi non segni vita peracta cibo.

Inge-

Ingeniiq; tui vires ad utrumq; paratæ
Sive arcere hostes, sive docere scholas.
Testis adest, rumpens CALVI subtilia fila,
Queîs locat in fixis, cælica membra, locis.
Testis adest, mõstrans decreta cruenta LATRONVM,
Vt caveat vafras Teutona terra feras.
Hinc rugit, stygiæ modò fauce SVITA Ceraſtæ
Sibilat, & cæstes clamq; palamq; ferit.
Nec facile agnoscas, num colla SVITA Draconis
Induerit, num sit PLVTO SVITAE animus.
Si quis peior eo esse potest, quod pessimum habetur,
Peior tanto bis, terq; SVITVLVS est:
Rumpantur furiis: nec quid crepitent SCARABÆI
Formidemus: apes mel magè sollicitant:
Ceu CRAMERE facis, qui nunc oracla Prophetarum
Indagas, CHRISTI qui cecinere decus.
HVNNII ad exemplum tibi cura secare Iehovæ
Iura, Magistri, æqua est gratia & illa, tui.
Tutiùs in campum sic præcursore badizas:
Indagare novas, cura operosa, vias.
Nos docuere alii gressus, nos posteritati,
Sic prius acceptum redditur officium.

M. David Reuzius in aula
Stetinensi Ecclesiastes.

EXPLI-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767502272/phys_0020
DFG

EXPLICATIO PROPHETIÆ GENES. TERTIO CAPITE, vers. 15.

Inimicitias ponam inter te & inter mulierem, inter semen tuum & semen eius: Ipsum conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. (Hæb. *& tu conteres seu mordebis ei cum sibilo calcaneum.*)

ARGVMENTVM HVIVS VATICINII.

HOc Vaticinium quod ipse DEus suo ore prolocutus est, non potest veriori titulo insigniri & inscribi, quam quod sit πρωτοευαγγέλιον, h.e. primævum & antiquissimum Euangelium: In quo primò omnium promissio facta est primis nostris parentibus, & in lumbis ipsorum toti generi humano, de Christo & Regno ipsius, qui assumpturus esset massam carnis humanæ, & conflicturus cum

Diabolo, & destructurus mortem & infernum, inq; hoc suo cruento conflictu reportaturus esset victoriam & reparaturus salutem ac medicinam pro peccatis totius generis humani. In quam dulcissimam promissione recumbentes nostri Protoplastæ omnesque primi mundi Patriarchæ immotam restitutionis suæ imo Salutis æternæ spem plenis animis conceperunt. Hoc Euangelium fons est omnium prophetiarum subsequentium, quæ tanquam rivi omnes ad caput hoc coëunt, & plenius inculcant, repetunt, explicant hanc primam de Christo factam promissionem. Quæ promissio ita confirmata est, ut ratione eius qua serpentem Diabolũ respicit, sit comminatio & pœna devastationis Satanæ eiusq; Tyrannidis: Ratione autem eius qua homines attinet, sit suavissima promissio & consolatio. Id quod fieri aliter non potest. Quandoquidé enim Satanæ felicitas sit generis humani pernicies, necesse est, ut è contrario Satanæ pernicies sit generis humani felicitas & summa beatitudo. Dũ ergò ex unâ parte maledicitur diabolo, denũciatur infligiturq; pœna, ex altera statim parte benedicitur hominibus & accrescit toti generi humano consolatio, spes & vita. Hic est Germanus horũ verborũ sensus & verum argumentum, ad quam metam omnis explicatio nostra collimabit.

ΑΠΟ-

ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ *seu* DEMONSTRATIO *huius Argumenti.*

PRiusquam ad plenam textus explicationem progrediamur, ut demonstremus, nos initio à janua, quod aiunt, non aberrâsse, confirmanda nobis est Argumenti propositi soliditas. Multæ verò sunt rationes, quæ hunc sensum inducunt, & reijciunt alienum.

Primò enim si ipsa verba huius promissionis attendamus, quod principale subjectũ in hac promissione attinet, agitur hoc loco de semine mulieris, non viri, venturum videlicet quempiam, qui semen, hoc est, filius, ex semine genitus, sed ex semine muliebri tantum genitus, futurus sit victor conterens caput serpentis. Victor ergo qui hic promittitur, quoad nativitatem suam, describitur verus homo: sed homo ἀπάτωρ sine patre & virili semine natus, ex Matre tamen prægnante, sed virilis seminis nescia, h. e. ex virgine natus, ut clarius exprimit Esaias capite 7. vers. 14. Idem ergo, qui apud Esaiam filius virginis prædicitur, hic semen mulieris appellatur. Atqui vero ille filius virginis est Messias. Ergo & semen mulieris de quo hic agitur, est Messias Dominus noster Iesus Christus.

Secundum argumentum colligitur ex Analogiâ Phraseos, & modo loquendi usitatissimo in sacra Scriptura, quod vocabulum seminis aliàs collectivum, non semel de Christo individualiter sumitur, atque sic ex sententia Pauli Galat. 3. vers. 16. sumi debet, qui promissionem Abrahæ Gen. 22. vers. 18. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, sic explicat, ut semen in singulari non plurali numero Christum ipsum ostendat. Cum igitur illa promissio huius sit caput, hæc cum illa ad idem tendat, sitq; explicatio & repetitio prioris, facilè est de similibus idem ferre judicium, utrobique de Messia agi, qui συγκεχυμένως in prima promissione adhuc quidem ad totũ genus humanum alligetur, in altera ad Abrahamum facta, ad gentem Judaicam restringatur.

Tertium Argumentum petitur ex vi attributi, agitur enim de victoria Diaboli, quod ex circumstantia temporis, quo promissio hæc facta est, sic probo: In isto actu judiciario Dei in paradyso, quo egit de lapsu primorum parentum, & omnibus qui huius criminis rei fuerunt, verba sonant de serpente, cuius caput conterendum est: Qui serpens vel est brutum animal, vel Diabolus, vel utrumq;: Si nudum animal tantũ intelligatur, cui hæc pæna inflicta sit, Diabolus autor & Architectus

ctus omnis huius sceleris exemptus erit ab omni pœna, cum aliàs in hoc actu judicij, nihil legatur, quod ad ipsum amplius pertineat, id quod absurdum est. Si utrumq; tum nemo gravius punietur hoc animalculo, nam paulò ante statuerat ei DEUS triplicem pœnam. 1. Ut animal sit invisum præ reliquis animalibus, quod antea fuerat suavissima bestiola. 2. Ut serpat humi, 3. Ut vescatur terra, quæ propriè ipsum animal respiciunt, eiusq; reatum expiant: Cum quibus verbis ne hæc sequentia confundantur, non possunt de utroq; accipi. Relinquitur ergo quod de Diaboli capite & corio tantùm hoc loco agatur, à quo victoriam reportaturus sit ille, qui est semen mulieris futurus. Ex quibus porrò sic licet inferrre, vincere Diabolum, vel est opus hominis, vel opus angeli boni, vel opus Diaboli ipsius, vel opus DEI: Non autem est opus hominis, quia ille inferior est, & iam victus à Diabolo. Non opus angeli boni, quia ille per se & ex sua natura est Diabolo æqualis. (Loquimur autem de Angelis quid sint, quidvè possint per se, nõ quid in officio & ministerio DEI, ubi Authoritate Michaëlis, h. e. Filij DEI pugnant & vincunt,) neque ipsius Diaboli, quia Diabolus Diabolum non destruit, astipulante Christo, Luc. 11. v. 18. Superest ergò ut Diabolum vincere, tantum sit opus Dei.

Itaque semen id mulieris cui victoria de Diabolo asscribitur, non homo tantum, sed & DEUS sit oportet: talis autem Gigas θεάνθρωπος non nisi Christus est, acclamante tota sacra Scriptura, Ergo hic de Christo tantùm fit nobis promissio.

Quartò, si contendatur non sonare hanc promissionem de Christo: tum sequetur, ut omnes Patriarchæ, imò totus primus mundus Antediluvianus, & qui fuerunt post diluvium, usque ad secula Abrahami, annis plus bis mille, non habuisse ullum expressum promissionis de Messia verbum, atque ita caruisse fide (quæ verbo nititur) & sine fide damnatos fuisse, imo nullam fuisse Ecclesiam, & quæ id generis alia infinita inde absurda sequuntur. Quæ qui admittere non volet, concedat etiam oportet, hanc promissionem intelligendam esse de Christo.

Quinto & ultimò indubitatum est, primos parentes nostros hæc verba illo sensu accepisse, id quod ex testimonio Evæ elucet, Gen. 4. vers. 1. Quæ ubi Cainum peperit, exclamavit: *Acquisivi virum Iehova.* Erravit ipsa quidem in individuo, at virum tamen singularem, h. e. Messiam ex semine suo prognatum iri, juxta promissionem hanc sibi factam, intellexit, credidit & professa est. Idem, quod etiam ex testimonio Lamechi probabiliter

liter liquet, qui de Noah filio sibi genito pronuntiavit: *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Quem sensum, postea constanter servavit purior Judaica antiquitas, sicut id ex Chaldaica Paraphrasi ante Christum natum recepta & approbata comprobatur: Illa enim quod hic de semine dicitur, ibi sic legit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter filium tuum & filium eius, ipse, &c.*

Judæorum

Quæ rationes quam sunt certæ & evidentes, tam etiam ineptæ & impiæ sunt ab hac Christiana & recepta sententia dissentientiū opiniones, quarum duplex est genus: Una enim opinio Judaica est, Altera Judaizans, utraque improbanda. Judæi enim negant hoc loco per *semen mulieris* Christum intelligi, sed collectivè aiunt, totum significari Genus humanum, atque ita enervant nostram rationem, qua semen mulieris, non viri esse concludimus; instantia similis exempli, ut cum Esaiæ 57. v. 3. tota gens Judaica semen fornicariæ appellatur, posse ergo quemvis hominem semen mulieris vocari contendunt. At falsum id esse satis liquet ex eo, quod nullibi sacra Scriptura his vocabulis ita junctis utatur, satis innuens hoc nomine solum Christi, Individuum periphrastice denotari. Al-

latum exemplum alienum est, & falsò allegatum, non enim textus ita simpliciter sonat, ait enim: vos accedite huc filii auguratricis, semen adulteri & fornicariæ: Id longè aliud est: Ubi enim illic dicitur, Semen mulieris & Viri, sicut hic semen adulteri & adulteræ? Addo quod & ipsum attributum, quod de semine mulieris prædicatur (*conterere caput Diaboli.*) Randem opinionem satis refellat, & Judæos confundat: Nec enim hoc cuivis homini, imo nulli in genere humano competet, qui ψιλὸς sit ἄνθρωπος nudus homo, sed illi tantum, qui etiam sit verus DEUS, ut antea probatum est. Porro Judæi sentiunt agere hoc loco DEUM de bruto serpente, & odio inter hominem & id genus animalium intestino. Verum hoc somnium est: Nam neque apud singulos homines est ista hostilis ἀντιπάθεια, ut Suetonius de Tiberio testatur, quod condocefecerit serpentem de manu sua cibũ petere, neque semper homo serpentem vincit, quin sæpe illius veneno pereat, neque hæc pugna hostilis de solis serpentibus viget, verum eadem est cum omnibus noxiis bestiis, sive vi, sive insidiis petant genus humanum. Et quid hoc esset magni? Imo, sicuti paulò ante concluſum est, hoc absurdum hinc nasceretur, Diabolum, principem lapsus humani causam, impunitum ex hoc judiciario actu evasisse.

Ad

Ad hanc opinionem proximè accedit altera Calvini, quæ quia multum mutuata est à Judæis, rectè Judaizans dicitur: Hoc enim cum illa commune habet, quod semen mulieris collectivè non individualiter hoc loco intelligendũ sit. Deinde semen mulieris quemvis significare hominem in genere humano. Tertiò esse hic sermonem de odio serpentino & humano. His autem opponatur solus Paulus ad Galat. 3. vers. 16. qui vocabulum *Seminis*, quando de Christo sonat, individualiter seu singulariter accipiendum esse astruit. Id quod ἐπέρωσις generum in relativo & antecedente; qua & Septuaginta & Paulus harmonice utuntur, liquido comprobat: Sic enim illi: ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου καὶ τῆς γυναικός σου τηρήσει inter semen ipsius, ipse conteret. Quod Paulus exactè imitatus est dicto loco, ἐν τῷ σπέρματί σου ὅς ἐστι Χριστός: Frequens enim & usitatum est in sacris Literis tali mutatione generum variare orationem in relativo & antecedente, quando videlicet de personis & certa personali subsistentia fit mentio, ut Matth. ult. v. 19. Docete πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτούς. Quod vero Calvinus per ἀναγωγὴν quandam victoriæ de Diabolo ablatæ ad unum caput Christum redit, id tamen non penitus culpam eluit. Tantum quidem efficit, ut ipsius opinio non sit in solidum Judaica, sed quod non

sit Judaizans id nullus obtinet. Sufficit autem notasse quadantenus illum ad Judæorum partes concedere, & unà cum illis hoc Euangelium transfodere. Nos immoti in superiori nostra sententia firmiter comprobata persistimus, & nunc ad ipsam explicationem textus accedimus.

PARAPHRASIS TEXTUS.

NOtum est ex inspectione textus, unde hæc verba petita sunt, quod DEUS lapsis primis parentib⁹ actum solennem & quidem judiciarium instituerit, ad quem sistebantur. 1. Primi parentes Adam & Eva. 2. Serpens animal brutum. 3. Qui bruto abusus erat Diabolus. Cum his diversimodè agere cæpit DEUS. In hoc tamen cum singulis uniformiter agens, ut cuique pænam suam indiceret. Et quidem initium faciens huius actionis forensis à serpente bruto, hactenus anathema triplex illi dixerat: primò quidem quo ad formam, ut horribilis imposterum sit aspectu, qui ante fuisset animalculum ἐπέρατον καὶ ὑπερώραιον pulchrum & amabile. 2. Quo ad gressum, ut humi serperet. 3. Quo ad victum, ut terra vesceretur, qui antea fructibus arboreis usus fuisset. Hac causa peracta & dicta quæ ad Brutum pertinebat, dirigit tandem DEUS sermonem & judicium suum in-

in Diabolum qui vasculum hoc, animalculũ, corporaliter obsederat, atque in per & cum hoc organo primos parentes nostros dolosè circumvenerat. Huic Serpenti, hoc est Diabolo ipsi (qui ex hac Histrionica personam quam ad tempus susceperat Serpens seu Draco antiquus dicitur Apoc. 12. vers. 9.) huic inquam serpenti tandem dicit Dominus: *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, quasi dicat, tu simulâsti summas amicitias, & sub specie benevolentiæ saluberrimum consilium erga mulierem dolosè præ te tulisti, sed ego faxo, ut falsitas istius amicitiæ tam detegatur imposterum, ut in apertam inter vos erumpat hostilitatem. Illam inimicitiam dicit DEUS se positurum, quod non ita intelligendum est, quasi DEUS, inflammaturum se, minaretur cor Diaboli ad iram, quod opus non erat illi hosti, qui jam ante flammam & furorem suum plus satis erga Genus humanum probaverat, & qui, ut Basilij verbo utar, promptuarium est omnis mali, sed ita, ut dum DEUS ineat novum pactum cum hominibus de subsecuturo semine mulieris, & alliget hanc promissionem ad sexum muliebrem, statim sit simul hanc inimicitiam tanquam è consequenti positurus. Ideo porro dicit, Non tantum se positurum hanc inimicitiam inter mulierem & serpentem, sed & inter semen mulieris

ris & semen serpentis : tale videlicet semen mulieris, quod contriturum sit serpenti caput. Hinc illæ lachrymæ : Hinc illud bellum oritur mulieri. Nam quia ipsa suggestura erat massam seu semen ex quo victor iste sit prodituras, ideò futurum ait DEUS, ut serpens maxime hostiliter se sit habituras contra totum sexum muliebrem & omnes ex mulieribus nascituros, sive illi sint mares sive fœminæ : Cum tam sit emunctarum narium Diabolus, ut facilè intelligat, si posset interimere vel mares vel mulieres, vel alterutros vel utrosq;, de hoc semine mulieris amplius non esse periculum futurum : Atque sub vocabulo mulieris intellige hoc loco totum sexum muliebrem quem DEUS Diabolo reddi volebat invisum, nec ullam specietim denotare, ut Diabolus in perpetuo fluctuaret metu, hæne vel illa esset mulier, de qua semen hoc esset progressurum. Postea vero successu temporis subsequentibus clariorib^a prophetiis & subsecuto eventu, innotuit ecclesiæ Dei certa & una mulier, videlicet virgo Maria, ex cuius utero semen hoc in lucem est editum, suffragante nobis Esaia Propheta cap. 7. ver. 16. & explicante Euangelista Matthæo cap. 1. vers. 22. Per *Semen mulieris* intellige nullum alium, quam verum hominem ex semine humano, non viri tamen, sed mulieris tan-

tantum conceptum ac genitum, qui verus est Filius virginis Mariæ Dominus noster Iesus Christus, conterens Serpentis caput. Per *Serpentem*, ut jam ante quoq; attactum est, ipse Satanas intelligi debet, per *Semen Serpentis* tota Diaboli familia: Non quasi Diabolus generet, vel generetur, cum sit ex numero angelorum seu Spirituum, quorum natura est, ut nec nubant nec nubantur, sed ratione Principatus sic dicitur, quod inter Diabolos unus sit Supremus, quem in Scriptis Euangelistarũ vocant Beelzebub, cuius Principatum sequatur reliqua Spirituum Diabolicorum colluvies. Atque ita tota vis regni Satanici sub semine Serpentis comprehenditur. Ad quod pertinent omnes squamæ Diabolicæ, ut sunt ij, qui cum morte & inferno fœdus inierunt, homines impij & desperati, in peccatis contra conscientiam perseverantes, servi peccati, quorũ pater Diabolus dicitur Ioh. 8. v. 44. Qui ob id propago & semen huius patris rectè dicentur. Hi omnes sunt pars totius exercitus: qui in duas adversas & toto cœlo inter se dissidentes partes divisus protrahitur. Ex una parte pugnat semen mulieris: Ex altera serpens & serpentis semen. Initium pugnæ cæptum est ab hoc ipso statim temporis puncto, quo Prophetia hæc evulgata est à Deo in publicum. Pugnatur acriter & quidem de Sum-

Summa rei, h. e, de salute & perditione totius generis humani, pugna ἄσπονδός est, & irreconciliabile odium, cuius ideam in visione cœlesti vidit Iohannes Euangelista Apocalyp. 12. vers. 7. qui locus huc referri potest. Sed quis tandem erit finis, quis belli eventus? Audiamus porro DEVM ipsum sic serpenti dicentem: *Et ipsum conteret caput tuum.* Hic primum Grammatica explicatio notanda est. Diabolus enim artificiosa corruptela hunc textum, quem contra sese admodum sentiebat aculeatum, depravavit sub Papatu. In Hæbreo legitur pronomen הוּא *Huh*, in masculino genere, quod refertur ad זֶרַע *Zeragh*. id est, Semen itidē masculini generis in latino neutrum, cui reddi debet pronomen Ipsum, Et porro ipsum verbum masculino genere prolatum, ut sensus sit, Ipsum scilicet semen conteret caput tuum. Huic veræ lectioni consonat Chaldaica versio, quæ quia pro vocabulo Seminis Filium habet, per masculinum de Filio mulieris dicit, Ipse conteret. Versio septuaginta interpretum, etsi vocabulum σπέρμα-τος neutrum est, tamen per ἐπέρωσιν generum subjungit Relativum αὐτὸς in masculino, quod ad sensum (qui sub Metonymia est, per quam Semen pro Filio usurpatur) non ad vocem refertur. Et ita legisse puriorem antiquitatem

Irenæ-

Irenæus testis est lib. 4. contra hæreses, cap. 78. Vulgata autem versio in quibusdam exemplaribus Latinis corrumpit hunc textum, atque masculinum genus in fœmininum convertit, ubi Dauid de victoria contritionis Serpentis, non semini, sed mulieri transscriberetur. Quem errorem defendendum pertinaciter susscepit Bellarminus etiam contra proprios assseclas Pontificios Pagninum & Arriam Montanum, contra Isidorum Clarium, contra Sorbonicum Correctorium & contra Theologos Lovanienses, qui lectioné in masculino & servant, & conformiorem Hæbræo esse dicunt, atq; sibi auctoritaté & consonantiam divi Hieronymi & D. Leonis adiungunt. Contradicit tamen Jesuita prætendens nimirum se unum exemplar habere Hæbreum in quo הִיא *Hih*, fœmininum legatur, sed apertum hoc esse Bellarmini mendacium vel inde constat, quod Verbum sequens masculini generis יְשׁוּפֶךָ *Ieschuphecha*, item masculinŭ affixum נּוּ *Nu*, quod suffigitur in voce תְּשׁוּפֶנּוּ *Theschuphennu*, , id non patiantur. Cum enim hæc ad idem referantur, ad quod Pronomen illud integrum, sintq; masculina, planŭ omninò est non fœmininŭ, sed masculinum

num tantummodo hic locum habere. Et age sit controversia de lectione huius loci tum certè in dubiis illud verum & probabile habendum est, non quod unus, sed quod plurimi codices contra unum constanter loquuntur: Qua fronte igitur Bellarminus omnibus exemplaribus unum audet opponere. Taceo quod contra Analogiam fidei sit & blasphemum tribuere Mariæ virgini victoriam & vim conculcandi Diabolũ, quod solius Christi opus est. Sensus ergo verborum Dei est, quod semen mulieris Messias, Filius ex virgine nasciturus in assumpta carne victoriam in hac pugna super Diabolum obtenturus sit, & conculcaturus Satanæ caput: *Caput* dicit, sumpta metaphora à præcipuo & nobilissimo corporis membro, quod quia summo & eminentissimo loco positum est, & quasi initium corporis, atq; gravissimè summoq; cum periculo læditur. Estq; sedes Phantasiæ & intellectus, in quo aculeus serpentis venenatissimus residet, ideò vult significare, quod præcipuam vim & astum, in quo Satanæ Potentia Regnum & Tyrannis sita sunt, Messias destructurus sit. Et notabile est, quod Paulus 1. ad Cor. 15. vers. 55. aculeum mortis & Diaboli peccatum dicit: Unde si in solidum „ serpentinum caput & aculeus conteri debet, ipsum Peccatum & Mors debent tolli & interimi.

terimi. Hæc erit igitur speciosa illa victoria filii DEI, seminis mulieris, quam de Diabolo reportaturus est, cuius non ventrem aut scapulas aut vertebras quasdam dorsi contriturus sit, sed ipsum caput, in quo omnis vis & vita Diaboli residet. Quo conquassato, simulq; confracto venenato aculeo serpentis, nihil amplius sani, nihil validi in toto hoc monstro superesse potest, destructa enim parte principali totum destruitur.

Quid vero dices? num Diabolus patienter hæc omnia feret? an non studebit vindictæ? An non insidiis? usque ne igitur ille recessit ab ingenio antiquo? Addit DEUS, *Et tu*, subintellige, Satana, *insidiaberis calcaneo, quod & mordebis & conteres.* Calcaneum sicut est infima pars corporis, ita DEUS ad mysterium incarnationis vult per hoc verbum digitum intendere, in qua filius Dei exinanivit semetipsum, & cum esset in forma Dei ineffabili humiliatione demisit se quasi à capite usque ad imam plantam, & comparuit sub forma servi, in omnibus similis factus homini, excepto peccato. Illud voluit DEUS ipso hoc verbo vaticinari, quasi dicat: Diabolus calcaneum h. e. Humanam Messiæ naturam adorietur cum fremitu & sibilo, & cum non possit caput tanti Gigantis assequi, plantam petet, & mordebit illam morsu mortifero & lethali, ut victo-

ria, quæ quidem huic semini mulieris cedet, non sit futura sine sanguine. Vult ergo Deus hoc oraculo digitum intendere in passionem & mortem, quam subiturus sit Messias, ut nimirum vulnus Satanæ infligens, vulnus patiatur, & patiendo vincat & vincendo patiatur, ita tamen ut in morte nō maneat, sic enim caput huius seminis contereretur non calcaneū; At quia calcaneum tantum mordendum est, caput vero Serpentis conterendum, sic vulnerabitur Messias, sic patietur, ut post cruentam hanc victoriam, æternum de Satana triumphum acturus sit.

Hæc est gravis illa comminatio & pœna, quam Deus serpenti minatur, quæ utut est Diabolo odor mortis ad mortē, ita tamen nobis dulcissimus est odor vitæ ad vitam, suavisque consolatio, quod audimus quā gravi victoria Deus per Filium suum totum genus humanū liberaturus sit à morte, à peccato, à Satana, & recuperaturus vitam & salutē æternam. Illud enim semen vincit, sed sibi non vincit, in nostri gratiam atque salutem vincit, ut eius victoriæ fructus ad nos denique redeat, ut paulò post dicemus latius.

Loci Communes.

I.

Quando Deum ipsum hoc loco concionantem audimus, observanda est nobis ampli-

plissima sacrosancti ministerij dignitas. Multum enim facit ad dignitatem & Auctoritatem ministerij, quod Deus ipse officium prædicandi doctrinam cælestem non tantum instituit & mandavit, sed quod illud ipsum primus propria functione susceperit, idque tam divino auspicio initiaverit, dedicaverit, consecrârit. Deus igitur ipse fecit initium prædicandi, ut ostenderet, ministerium verbi tam excellens esse opus, quod & ipse subire non dedignaretur, atque illo nullum esse præstantius, nullum illustrius. Et notatu dignissimum est, quod & Legem & Euangelium docuerit Deus. Quando enim Adamum in Paradysum posuit, præcepit illi: *Ex omni ligno Paradysi comede, de ligno autẽ scientiæ boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte moieris.* Audis quod legem promulgârit & docuerit, Idq; primo fecit loco. Nunc autem postquam serpens Evam seduxit astutia sua, suscoit prædicationem Euangelij in prima promissione. Quibus dũabus partibus principalbus puta Lege & Euangelio, totum ministerium Ecclesiasticum absolvitur. Quæ ministrij dignitas magnifacienda est tum omnibus verbi ministris, tum auditoribus: Illis quidem, ut hinc discant sibi gaudere de tanto autore & commilitone, eiusdemq; officij collega; his, ut ministerium hoc suscipere & cũ reverentia habere discant, ne si ministrũ

verbi offendant in Autorem & collegam, ipsum graviter peccent.

II.

Evangelium doctrina est, quæ non nata est in hominis cerebro aut bucca, sed quæ ex sinu patris prodiit, sive enim accipias DEUM patrem, de Filio semine mulieris futuro, sive Filium λόγον & Oratorem Trinitatis de seipso hoc Evangelium promulgare, fixum immotumq; stabit in sinu patris reconditum hunc thesaurum fuisse, & ad genus humanum dictum in Filio, & per Filium, *de cuius plenitudine accepimus nos gratiam pro gratia*, Iohan. 1. v. 16. Unde & merito Evangelium Paulus nominat mysterium temporibus æternis tacitum Rom. 16. vers. 25. & verè quidem tacitum: Quis enim doctrinam illam exploret, quis proloquatur, quæ in sinu DEI, quem nemo unquam vidit, nisi ipso DEO proloquente, recondita & abstrusa latuit? Nuncautem porro attestante ibidem Apostolo revelata per scripturas Prophetarum secundùm præceptum æterni DEI, imò vero per os DEI ipsius ptefactum & divulgatum. Ideoq; fidelis & omni acceptione sermo hic dignus est, 1. Tim. 1. v. 15.

III.

Discimus etiam hinc, quam merè gratuita sit DEI vocatio, *qui*, ut inquit Paulus 2. Tim. 1. v. 9. *nos liberavit & vocavit vocatione sua sancta, non*

non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Iesu Christo, ante tempora secularia. Respice enim primos nostros parentes, qui in hoc stabant actu judiciario coram DEO Iudice, quinam erant? quid egerant? quid boni poterant de DEO mereri? Nonne rei erant æternæ damnationis & maledictionis? ita erant omnino. DEVS autem ex mera gratia, misericordia, & ineffabili dilectione, complexus totũ mundum in Adamo & Eua, tunc cum adhuc hostes ipsius erant, dedit eis promissionem de Filio suo Domino nostro Iesu Christo, destructuro serpentis caput: quam misericordiam, nemo omnium merito suo antevertit, aut quasi debitam sibi suo ipsius jure acquisivit, sed omnia, quæ ad nostræ æternæ salutis principium continuationem & consummationem pertinent, ex solo DEO, tanquam omnis salutis fonte promanant. Dicamus igitur cum Paulo Roman. 9. vers. 16. *Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Et Roman. 11. ver. 32. *Concluſit Deus omnes in incredulitatem, ut omnium misereatur. O Altitudo divitiarum, sapientiæ & scientiæ* DEI, *quam incomprehensibilia sunt Iudicia eius, & investigabiles viæ eius! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia: Ipsi honor & gloria in secula seculorum, Amen.*

Omne

IIII.

Omne antiquißimum verißimum, inquit Tertullianus. Hæc ergo doctrina de gratuita misericordia per Christum facta, de illius officio, regno, modo justificandi Peccatores coram Deo gratis sine operibus, concio erit antiquissima, quæ in ipso Paradyso prædicari cæpit, & ob id verissima. Ac quia antiquissima, ideo tantum una erit salutis via, qua homines coram Deo justificati sunt, & adhuc justificantur, sicut in concilio Hierosolymitano palàm enunciat D. Petrus, Actorum 15. vers. 11. *Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus salvari nos, quemadmodum & illi.* Frivolum igitur est, quod à Pontificiis fingitur, primum mundum lege naturæ, posteriorem usque ad natum Christum lege morali & ceremoniali, post Christum natos lege nova Euangelij salvatos esse: Id quod vel solo hoc primæ promissionis Euangelio refellitur.

V.

Dum Messias semen mulieris dicitur futurus, vera ipsius humanæ naturæ substantia infallibili argumento designatur: Quod Christus verus homo futurus sit, nobis per omnia similis absque peccato, Hebr. 2. ver. 17. cap. 4. ver. 15. Idque non τῇ δόκησιν καὶ φαντάσιαν simulata quadam specie, ut Manes & Doci-

Docitæ delirabant, sed in rei veritate. Quam suam carnem ut non putemus cælitus delatam fuisse, & tantum per matrem Mariam ὡς δι' αὐλῆς tanquam per vitrum aut canalem, uti Valentiniani fingebant, transiisse, ideo nomine seminis ipsa massa carnea & sanguinea, quam filius Dei ex matre sumpsit, expressè denotatur, ut generationis materia non aliundè ab extra importata fuisse somnietur: Omnis enim spei & fiduciæ nucleus nobis de fraternitate Christi esset exemptus, si non verè humanum corpus nobis consubstantiale assumsisset, sed vano tantum phantasmate aut cœlesti Ideâ nostros oculos perstrinxisset & delusisset: quod enim non assumpsit non redemit.

VI.

Porrò quia semen non viri, sed mulieris tantum futurus esse promittitur Messias: describitur nobis mysterium incarnationis novum & imperscrutabile: quod mulier seu virgo ex muliebri sexu paritura sit hunc suum Filium, sine virili semine, novo & inusitato quodam genituræ modo. Quod mysterium, hoc loco aliquanto obscurius propositum, luce clarius declarabit Esaias cap. 7. vers. 16. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Immanuel.* Qui partus novus operante Spiritu sancto factus est, ut inquit angelus

gelus ad Josephum Matth. 1. vers. 20. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et Luc. 1. v. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Defectum ergò seminis virilis, Spiritus sanctus sua obumbratione supplevit, unde & hic Messias non in peccatis conceptus & calefactus, sed sanctè & immaculatè genitus est.

VII.

Officium & regnum Christi quodnam futurum sit hic liquido addiscitur: videlicet conterere caput Diaboli. Venit ergò Christus in hunc mundum, non ut esset terrenus quidam Monarcha, aut princeps, sed ut negotium faceſſeret Diabolo, illum adoriretur & prosterneret. Ioannes 1. Epist. capite 3. vers. 8. *In hoc apparuit Filius DEI, ut dissolveret opera Diaboli.* Custodiebat Diabolus fortis ille armatus, de quo Christus Luc. 11. v. 21. atrium suum in pace, sed hic fortior eo, superveniens vicit eum, universa arma eius abstulit, in quibus confidebat, & spolia eius distribuit, quod futurum esse etiam DEVS in hac promissione concionabatur, in hanc cruentam victoriam innuens, dum vulneraretur calcaneum seu humana ipsius natura. Quod clarius Epistola ad Hebræos explicat cap. 2. v. 14. *ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium,* id est Diabolum, *& liberaret eos qui timore mortis*

tis per totam vitã obnoxii erant seruituti. Et Christus Iohannis 12. v. 31. cum nunc esset in acie novaculæ passionis & mortis suæ, inquit: *Nunc Iudicium est mundi huius, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Moriendo igitur, patiendo, iramque DEI in se derivando, vulneratus est, mortuus & sepultus est pro nobis, sed iterum resurrexit propter justificationem nostram Rom. 4. v. ult. Atque sua resurrectione ἐπινίκιον de morte, Diabolo, & inferno cecinit: *Absorpta est mors in victoria: Vbi est ô mors victoria tua? Vbi est tuus ô inferne stimulus?* Osc. 13. vers. 14. *stimulus autem mortis peccatum, Virtus vero peccati Lex*, 1. Cor. 15. vers. 54. *Adeoq; exspoliatos hos principatus ac potestates ostentavit palàm triumphans de illis per semetipsum*, Colos. 2. vers. 15. Eo ipso igitur dum Diabolus superatus & stimuli ipsius fracti sunt lex & peccatum, non habet quo in nobis dominetur: Atque ita jam, uti Paulus scribit Roman. 14. v. 17. *Regnum filij Dei est Iustitia, pax & gaudium nostrum in Spiritu sancto.* Hæc gratia manifestata est nunc per illuminationem Salvatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Euangelium, 2. Timoth. 1. v. 10.

VIII.

Tantam tanti operis molem cum nulla creatura perficere, & Diabolum vincere pos-

sit, ideo de semine mulieris altius quam de nudo homine aut angelo cogitandum est, quod videlicet sit verus Deus, qui divina sua majestate vi & omnipotentia vincat, quem exhorrescat Diabolus & omnes inferorum portæ, & cui se omne genu flectat cœlestium, terrestrium & infernorum, Esa. 45. v. 23. Et cuius regnum stet in æternum, Dan. 2. ver. 44. Et ut ponere posset hos inimicos diabolicos scabellum pedum suorum, necesse habebat sedere à dextris Dei, Psal. 110. v. 1. quod nulli alteri personæ, quam quæ Deus sit, in æviternum competet.

IX.

Malitia Diaboli non leviter hic admiranda est, quod is semen mulieris Messiam, qui in una persona & Deus & homo erat, adoriri est ausus, & calcaneum ipsius rodere, creatura creatoris. Nonne hæc impudentia, nonne hæc audacia, nonne hæc hostilitas extrema est? Et vita Iesu Christi illud luculenter edocet, quam hic impudens hostis nihil inausum intentatumq; reliquerit, quo incommodare se posse Filio Dei ad singulos passus & oculorú ictus singulos confidebat. Cum enim semen hoc mulieris vix ad corpulentam quandam consistentiam in sancto Mariæ utero pervenisset, ibi mox machinatur omnis generis famosas suspiciones de fœtus huius conceptione, ut

ne, ut legere est Matth. 1. ver. 9. Vbi in lucem vix dum editus esset, suffundit Diabolus Herodi Tyrannicos conatus, iramque sanguinolentam, ut quærat infantem hunc occidere, qui ope Diaboli cum parentibus eijcitur in exilium. Quando ministerium suum Christus suscipit, aperto marte Diabolus illum aggreditur in eremo, & satis superque voluntatem sibi nocendi non deesse, modo facultas adsit, prodit, dum & impudenter flagitat à Christo adorationis cultum, atque illum pro suo libitu hac illac circumvectat, ut prolixè legitur Matth. 4. v. 1. Quas denique technas per Judam, perq; reliquos eiusdem fecis hostes tempore passionis exercuerit notius est, quam ut multis sit opus. In summa dici non potest, quanto sibilo, quanto impetu, quanta vi, quantis insidiis calcaneum Christi roserit, & venenoso aculeo non semel punxerit. Discamus ergo hinc extremam Diaboli vesaniam furorem & impudentiam agnoscere, qui enim Christo creatori non pepercit, nobis multo minus parcet.

X.

Et quod hinc collectu facilè est, durabit semper capitale odium & ἄσπονδος πόλεμος, inter Christum veræ ecclesiæ caput, interque serpente falsæ caput Ecclesiæ, inter ipsam Ecclesiam veram & falsam, quæ ut contra se positæ semper erunt, ita semper inter se mo-

vebunt

vebunt bella. Non exspectanda igitur, non quærenda est cum Diabolo & squamis eius conventio: sicut Paulus rectè nos admonet 2. ad Corinth. 6. vers. 14. *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas Luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli? Qui consensus templo DEI & infidelium?* Disiliendum igitur est quam longissimè nobis piis à Diabolo & suis consiliariis, dogmatibus, machinationibus, fœderibus: *Væ enim*, inquit Esaias cap. 5. vers. 18. *qui trahitis iniquitatem in funibus vanitatis.*

XI.

Quia serpens semen habere dicitur, (non materiale aut genethliacum ut Origenistæ delirabant, sed spirituale) discimus, non unũ sed multos & innumerabiles esse diabolos, qui tamen omnes ad unum serpentem ceu caput quoddam redeunt & respiciunt. Idque firmis & squamosis inter se nexibus, quibus primanus ille serpens Dux & choragus Beelzebub, imperium suum constrinxit, & in certos ordines redegit. Ad hunc modum loquitur Christus Matth. 25. vers. 41. paratum esse ignem Diabolo & angelis eius. Unum nominat Christus Diabolum κατ' ἐξοχὴν, cæteros illius emissarios & satellites. Et Paulus perstringit huius infernalis Regni ordines Ephes. 6. vers.

6. v.12. inquiens: *Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates huius mundi, & tenebrarum huius seculi rectores.* Ad quam imperialem catenam pertinent quoque mundus & in eo præcipuè Antichristus uterque, qui est de semine Diaboli, filius Abaddon seu perditionis, 2. Tessal. 2.v. 4. Quo etiam pertinent omnes ij, qui in peccatis contra conscientiam luxuriantur: tales enim Diabolum patrem habent, ut inquit Christus Ioan.8. ver.44. *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio, cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur.* & 1. Ioan. 3.vers.8. *Qui facit peccatum ex Diabolo est.* Agamus ergò DEO gratias, quod cum natura filii iræ fuerimus, nunc per gratiam Iesu Christi filii DEI & semen Dei facti sumus: vitemus peccata, ne in hanc progeniem viperarum iterum complicemur.

XII.

Inimicitia hostilis quam Diabolus contra nos gerit, debet nobis abstergere lethargum securitatis: Nam cum commilitemus sub vexillo seminis mulieris, tanquam membra sub nostro capite, ideo nihil nobis certius esse potest, quam Diabolum in nos quoque hostiliter affectum esse. *Leo ille rugiens adversarius noster circumit quærens quem devoret*, sobrios igitur

tur nos esse oportet & vigilare 1. Pet. 5. v. 8. Et quia sub eadem pugnæ alea stationem nostram habemus, mirum sit ni & aliquando nobis vulnus infligatur à serpente ignito. Sed discamus Christo compati, persecutiones ferre, & immotis oculis ducem nostrum eiusque symbolum, serpentem æneum, semper respicere, cuius salutaris aspectus medetur nobis, ne nos veneno suo lethaliter vulneret Draco antiquus. Huc faciunt quæ Paulus Ephes. 6. v. 11. de armaturæ Christianæ panoplia plenius dissertavit.

XIII.

Prodigiosa est, ut hinc quoque apparet, impietas quorundam hominum, qui sibi tantam de Diabolo persuadere possunt bonitatem, ut & familiarem cum illo necessitudine contrahant, atque eodem familiariter utantur, unde & Spiritus familiares dicuntur, qualem Socratem habuisse scribit Apuleius. Sed hoc insanum, quod etiam ij, qui Christiani audire volunt, & Baptisma sacrum acceperunt, idem tentant sine, ut putant, piaculo. Quid vero illi aliud faciunt, quam ut perpetua blasphemia mendacij arguant Deum ipsum, qui hoc loco dicit, inimicitias sancitas inter serpentem & genus humanum. Sed illi tandem magno suo malo experiuntur, quam simulata & falsa illa fuerit Diaboli familiaritas. Contra

tra quæ Satanica ludibria semper in auribus nostris tinniat vox Dei, *Inimicitias ponam &c.*

XIIII.

Si compatimur, inquit Paulus Rom. 8. v. 17. *& conglorificabimur*: Qui ergo cum Christo pugnant, cum Christo participes reddentur glorioſæ victoriæ, cuius tamen excepto Christo, nemo autor erit & causa, Apoc. 5. vers. 5. *Leo enim de Iuda vincit*, & præter illum nemo: Fructus autem victoriæ ad omnes commilitones redit. Et sic certa & non vacillans nobis spes & indubitata fides concipienda est victoriæ de Diabolo, morte, peccato, lege, inferno, Tyrannis, infidelibus, hæreticis, tentationibus Diaboli & id genus excrementis infernalibus: juxta promissionem Rom. 16. v. 20. *Deus pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.* 2. Cor. 2. v. 14. *DEVS semper triumphare facit nos in Christo Iesu.* & 1. Cor. 2. ver. 57. *DEVS dat seu imputat nobis victoriam in Christo Iesu.* Ut cum tripudio sonet nobis in mente vox magna in cœlo dicens: *Nunc facta est salus & virtus & Regnum Dei nostri & maiestas Christi eius, quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte, & ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter verbum testimonij sui*, Apocal. 12. v. 10. Et hæc victoria tam certo nobis continget, quã certo semen mulieris vicit, & non sibi, sed nobis caput serpentis contrivit. Disce-

XV.

Discamus quoque in Christo sic Diaboli minas & sibila timere, ut non penitus animũ abiiciamus, semper illud respicientes, quod princeps huius mundi jam judicatus sit, Ioh. 16. v. 11. cuius ob id vana est sine viribus ira, similis serpenti lacero: ad quem pulchrè Virgilii versus applicari possunt. 5. Æneid.

Qualis sæpè viæ deprensus in aggere serpens,
Ærea quem obliquũ rota transiit, aut gravis ictu
Seminecem liquit saxo lacerumq́ viator:
Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus:
Parte ferox, ardensq́ oculis & sibila colla
Arduus attollens: pars vulnere clauda retentat
Nexantem nodis seq́ in sua membra plicantem.

XVI.

Artificium Diaboli hic discimus, dum à postica parte Christum adoritur, non à fronte, non digitum pedis anteriorem sed calcaneum subdole pungens. Hic est mos Diaboli, quem discamus agnoscere, & omnes κρύψεις fallacias, dolos, insidias in proximum cane peius & angui execrari. Quid enim talis homo aliud est, quam simius & Mimus Diaboli, in hoc morem fallendi, & à tergo machinas struendi Satanicum, imitans & peragens. Et hoc est quod psalmista David multis in locis tales Doecos & insidiatores sub figura serpenti-

tina graphicè depingit & execratur Psalm. 5. v. 4. Psalm. 10. v. 8. & Psalm. 140. v. 4. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum.* Et ut ait Psalm. 56. v. 7. *Congregantur & speculantur, calcaneum meum observant.* Tales sunt omnes ij tenebriones, qui mel in ore, fel in corde gerunt, qui lucem fugiunt, Ioan. 3. v. 20. Suæ sibi malitiæ conscij. Et à longè speculantur, quæruntque occasiones nocendi posticas, omniaque subreptitiis dolis involvunt, cauda blandiuntur, ut aculeo pungant.

XVII.

Quia caput serpentis peccatum & stipendium peccati mors est, & prædicitur hac promissione, quod mors sit conterenda, non igitur est perpetua, sed evanida forma, haud secus sicuti somnus, ut est Matth. 9. v. 24. Non obscurè itaque facta est statim in initio mundi patribus in hoc Evangelio promissio, de tempore, quo tandem penitus destruenda sit mortis violentia. Et hæc novissima inimicitia est, & novissimo quoque loco penitus destruenda juxta explicationem Pauli 1. ad Cor. 15. v. 26. Erit ergo resurrectio mortuorum, qua claustra mortis desinent esse, & inchoabitur vita, quæ omni mortis periculo expers sit, æterna. Quam doctrinam procul dubio sic ex Prophetia hac haurientes Patriar-

chæ in primo mundo suis tradiderunt & explicarunt, quod de Henocho imprimis testatur Epistol. Judæ, v. 14. Qui etiam suo exemplo huic doctrinæ de resurrectione mortuorum, extremo judicio, & vita æterna fidem fecit, Gen. 5. v. 24.

XVIII.

Clarum etiam habemus hoc loco exemplum, quomodo una eademque Evangelii doctrina, uni quidem sit odor vitæ ad vitam, alteri vero odor mortis ad mortem, ut loquitur Paulus 2. ad Cor. 2. vers. 16. Quemadmodum enim fieri potest, ut unº idemq; odor uni gratus sit, alteri ingratus, unum recreet, alterum in animi deliquium conijciat: Sic una eademque Euangelij doctrina uni in consolationem, alteri in terrorem; uni in salutem, alteri in damnationem cedit. Quicquid enim recipitur ad modum recipientis recipitur, inquiunt Physici. Sic hoc Protevangelium cedit in dulcissimam consolationem primis parentibus & omnibus, qui vera fide sibi illud applicant. Diabolo autem & semini eius in gravissimum terrorem comminationem & maledictionem. Non autem id fit doctrinæ vitio per se, sed per accidens ex perversa auditorum diversitate, qui sibi hoc, non doctrinæ imputare debent.

Deni-

XIX.

Denique cum subsecutam impletionem huius Prophetiæ attendimus, discimus; nullam quidem promissionem in Sacris irritam esse, sed tamen sæpenumero eventum per multos annos suspendi & prorogari ad summam temporis plenitudinem. Ab initio enim promulgatæ huius Prophetiæ usque ad adventum nativitatis Christi, seminis mulieris, interceſſerunt anni 3963. Promissio terræ Canaan Abrahæ facta, post 400. demum annos completa est. Et similia exempla sunt infinita. At verò quod differtur à Deo, non aufertur. Et ut promissiones ita etiam pœnæ, seræ quidem sunt, tacitis tamen tandem veniunt pedibus. Hunc Dei ritum debemus nobis habere probè perspectum, ne sedeamus in cathedra illusorum, qui dicunt, ubi est promissio aut adventus eius, 2. Pet. 3. vers. 4. *Non mentietur, si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit*, Habacuc. 2. v. 3. *Atque ita in silentio & spe erit fortitudo nostra*, Esai. 30. vers. 15.

SECVNDVM VATI-
CINIVM.

PROMISSIO DE CHRISTO, ABRAHAMO FACTA GENES. XII. V. 3. & cap. 22. v. 18.

In Semine tuo benedicentur omnes gentes, &c.

ARGVMENTVM SIVE SVMMA.

EST hæc illa promissio, quam Deus primò edit ad Patriarcham Abraham, & quam toties inculcat & declarat, Gen. 12. v. 3. & cap. 15. v. 6. Quamq; eandem repetit ad Isaacum, cap. 18. v. 18. & cap. 16. v. 4. Et ad Iacobum patriarcham, cap. 28. v. 14. In qua toties repetitâ & inculcatâ promissione, Deus ipse cum Abrahamo, filio, & nepote ipsius renovat primævũ pactum de mittendo semine mulieris, conculcaturo caput serpentis, de quo spem fecerat primis nostris parentibus in Paradyso. Atque jam per hanc promissionem

nem astringit semen illud mulieris ad certam familiam & gentem, ex qua sit nasciturus Messias ille: videlicet ad posteritatem Abrahæ, constituitq; Abrahamum Deus his verbis, Avum magnum filii sui I. C. olim in mundum nascituri. Habemus enim, breviter loquendo, in his verbis Evangelicum oraculum de Christo, quod is proventurus sit ex posteritate & familiâ Abrahæ patris omnium credentium. Et completum est hoc vaticinium in Iesu Christo Dei & Mariæ filio.

ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ *SEU DEMONSTRATIO Argumenti.*

IUdæi pro illâ, in qua hærent, cæcitate carnali, non nisi carnaliter hunc textum accipiunt, videlicet de carnali quadam prærogativâ & temporali gloriâ, quam gens Judaica habitura sit præ reliquis nationibus: ut sensus sit: In nomine tuo benedicentur omnes gentes. hoc est, omnes gentes quotquot sub cœlo sint, benedicent seu gratulando bene precabuntur Judæis, quod in tanta multitudine cum tanto rerum successu ex tam inclyto stemmate tanti viri Abraham nati sint. Qui sensus admodum jejunus & sterilis imò corruptus est, & nihil est aliud, quam ructus præconcepti judicii Judaici de carnali felicitate, quam sibi in his terris de Messia ubique polli-

pollicentur, quo etiã sacram scripturam semper nefarie involare solent, eamq; mirum & miserum in modum conspurcare. Sed non esse hic sermonem de tali aliquâ gratulatione felicitatis carnalis, satis liquet, cum hoc loco Deus agat de tali benedictione, quæ nõ à gentibus profectura sit in Judæos, sed potius à Judæorum familia redundatura sit in gentes. Nam in hac Prophetiâ terminus à quo benedictionis sunt Judæi, terminus ad quem, sunt gentes. Quid agit autem glossa? terminum à quo benedictionis gentes constituit, terminum ad quem Judæos, quod planè mentem & sensum scripturæ vertere est. Ineptum igitur est, quod talem ex his verbis benedictionem quæ temporanea sit tantùm, sibi Judæi somniant. Præterea ineptitudo huius glossæ etiam inde patet, quod Deus, quoties hanc promissionem inculcat, satis explicatè & distinctè loquatur de benedictione illâ quæ temporalis est, & illa quæ spiritualis est. Nam & præmisit in his verbis benedictionem corporalem de multiplicatione populi eorũ, & postea tandé subijcit hanc promissionem de benedictione spirituali, quæ cum illa confundenda est nequaquam. Sic enim ait: *Benedicendo benedicam, & multiplicando multiplicabo semen tuum, &c.* Quæ verba de carnali benedictione sonant. Cum autem porro additur: *In semine tuo benedicen-*

dicentur omnes gentes, id de spirituali benedictione tantùm accipiendum est. Et denique posito sed non concesso, quod hæc prophetia nō agat de Messiâ nascituro ex semine Abrahæ, detur alia quęso quæ facta sit Abrahę, quod ex ipsius semine venturus sit Messias? Nullibi autem extat alia. Unde sequeretur, Deum ipsi Abrahamo subticuisse de industriâ & non revelasse planè illi ingens illud beneficium de Messiâ ex semine ipsius nascituro. Hactenus enim sonuerat tantùm in Ecclesiâ generale hoc vaticiniū Paradysiacum, de Messiâ Christo, quod semen mulieris esset futurus. Atquo sic destituti fuissent planè Abraham, Isaac, Iacob promissione de Christo, quod is ex ipsorū gente sit nascisturus. Sed id non potest non à veritate alienū videri, etiam ipsis Judæis, qui, ut opinor, non concesserint, Deum hanc promissionem, quæ caput omnium est, non revelasse Abrahamo: Planè enim est contrarium illi, quod ipse Deus ait: *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* Gen. 18. v. 17. Quia igitur certum est, Deum id clàm Abrahamo non habuisse, & nulla alia evidentior promissio de Christo Abrahæ facta extet, indubitanter contra Judęos concludimus, hanc promissionem quicquid etiam obganniant Judęi, de Christo sonare. Quid? quod ex Psalm. 72. v. 17. liquido appareat, Davidem ipsum non aliter, hæc

verba quam de Christo accepisse. Nos quibus in Novo Testamento velum judaicæ lippitudinis detractũ est, docemur insuper ab Evangelista Luca, Abrahamum haud immerito interserendum in Genealogiæ linea. Et cum Matthæo, ab illo initium numerandi faciendum. Et à Petro docemur Actor. 3. ver. 25. In his verbis Prophetiæ nostræ consistere fœdus, quod Deus cum patriarcha Abraham primus inierit. A Paulo verò erudimur, continere hæc verba Euangelium de Christo, sic enim inquit Galat. 3. v. 8. προευηγγελίσατο τῷ Ἀβραάμ, *prævangelisavit Abrahamo quia benedicentur in te omnes gentes.* Hisce ergo verbis, teste Apostolo, facta est prævangelisatio seu Evangelica denunciatio de isto semine, in quo omnes gentes sint benedicendæ: Id quod etiã Paulus eodem capite vers. 16. amplius confirmat, dum rigidè urget in his verbis numerũ singularem in verbo *Seminis*, cum inquit: *Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, Et semini tuo, qui est Christus.* Atque, quod optimum & specialissimum est, subsumit & designat Apostolus, vers. 14. hoc semen, de quo hic sermo est, esse Iesum Christum & nullum aliud inquiens: *Vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu.* Tria igitur nos Christiani habemus evidentissimè demonstrata à Paulo optimo sacræ scripturæ interprete, 1. quod in

his

his verbis contineatur pro-Evangelium. 2. quod id de nullo alio semine quam de Messia loquatur. 3. quod illud semen seu promissus hisce verbis Messias sit Iesus Christus, quod erat demonstrandum.

ΠΑΡΑΦΡΑΣΙΣ.

DEUS immediatè ad Abrahamum Patriarcham hæc verba proloquitur, quē hac promissione compellat & affatur, *in semine*, inquiens, *tuo benedicentur omnes gentes.* Dū ait, *in semine tuo*, accuratè distinguit inter Abrahamum & semen ipsius, de quo hic sermo est. Et licet supra c. 12. v. 3. sic dicatur, *In te benedicentur*, tamen id non nisi inclusivè cū respectu ad hoc semen accipi potest: quasi dicas, per te benedicentur. In persona enim Abrahæ per se nulla residet benedictio. Promittit igitur Deus & prædicit Abrahamo posteritatem longam, in qua futurus sit unus ex quo solo benedictio & salus in gentes redundatura sit. Nam vulgata est hæc loquendi ratio scripturæ, ut *seminis* vocabulum, quod aliàs collectivum est, in multis prophetiis passim, individualiter accipiatur. Unde ex præscripto saniorum Theologorum juniores hanc sibi perpetuam faciant regulam: quod vox *seminis* in omnibus promissionibus, quæ de opere redemtionis agunt, non collectivè sed

individualiter sit accipienda. Quam regulam ex ipsius Spiritus sancti stylo accepimus, annotante Apostolo Paulo, qui, ut paulo ante dictum est, accuratè observavit illud, *non in seminibus* (inquiens) *ait Scriptura, sed in semine tanquam in uno.* Et idem porro ex mystica sacræ scripturæ grammatica patet, qua Paulus generi neutro, masculinum articulum subjicit, cum expressa persona his verbis: τῷ σπέρματι σοῦ ὅς ἐστι Χριστὸς, *semine tuo qui est Christus*: sic enim assolet sacra scriptura loqui, cum de certa Hypostasi sermo est. Certum igitur hoc in loco notatur individuum nempe ipse Messias, qui hic *semen Abrahæ* dicitur, h.e. verus (secundum unam naturam) homo futurus, qui ratione sanguinis nasciturus sit ex posteritate Abrahę. Atque hac ratione segregatur & in sublimem locum reponitur familia Abrahamica, quod ex hac & nulla alia, quotquot illarũ sint in mundo, cognatione sanguinis proditurus sit Messias, adeo ut Abrahã verè gloriari possit, se in suo stemmate ipsum filium Dei habere Dominũ gloriæ; nonne id magna est familię huius dignitas? Et de hoc semine sic edito in mundum ait Deus, *In illo benedicentur omnes gentes*, quasi dicat, totũ genus humanum commoritur planè in extremâ maledictione, sub qua miserè abjectum est propter peccata per legis rigorem, itaque ego illius

miser-

misertus semel pollicitꝰ sum semen mulieris, quod conculcaturum est caput serpentis, quã promissionem nunc iterum repeto & certò designo tuam gentem, ex qua semen illud prodibit, unde emanabit benedictio, quę pertinebit ex æquo ad omnes gentes, quam benedictionem quicunq; acceperint fide, non manebunt amplius sub maledictione, sed in benedicto meo hoc semine erunt ipsi quoque benedicti. Et sane quid bonorum Deus sub vocabulo benedictionis comprehendat, id paulo post in assignatione locorum communium dicemus. Nunc hûc tantum Pauli verba transferemus, qui inquit Gal. 3. v. 14 *Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem*, quæ verba tanquam luculentus ipsius Spiritus sancti commentarius hûc diligenter annectenda sunt. Primùm enim bonum ipsum quod benedictionis vocabulo continetur designant. Deinde modũ applicationis ostendunt, qua in nos benedictio hæc derivari queat. Bonum ipsum quod attinet, nominatur id *Promissio Spiritus*, per Hebraismum, quasi dicas, promissus Spiritus. Ergo ex hoc semine provenit in nos Spiritus sanctꝰ promissus, ubi autem Spiritus sanctus est, ibi est quoque liberatio à maledictione æterna; imputatio justiciæ Christi, qui in se maledictionem legis derivavit; & deniq; resurrectio ad vitam æternam, in quam ingressuri sumus cum omnibus benedictis. Tot tantaq; bona in

hoc

hoc divite benedictionis cornu quod est Messias noster Iesus Christus, latent & scatent. Quæ bona ut ad nos singulos pervenire possint, organo opus est ex parte Dei: sanè pertinet hæc benedictio ad omnes gentes, pervenit autem ad illas per fidem tanquam per organum, atque ita mutuatis hûc & assumtis verbis Pauli, sententia huius vaticinii per se plana & plena erit, quod, videlicet, in semine Abrahæ, Domino nostro Iesu Christo benedicendæ sint omnes gentes, idq; per fidem qua accepturæ sint promissionem Spiritus sancti, remissionem peccatorum & liberationem ab æterna legis maledictione atque pressura: in summa, benedictionem spiritualem.

LOCI COMMVNES.

I.

CAput & summa huius Vaticinii est agnoscere personam Christi, eiusque officium. Quia enim Messias à Deo hic ita describitur, quod sit Abrahæ semen futurum, facile inde colligere est, quod Messias non sit Angelicæ futurus naturæ sed humanæ, verus homo & quidem talis homo, qui non delaturus sit secum è supernis carnem diversæ cuiusdam speciei cum nostra, aut phantasma aliquod corporis (sic enim nullo modo semen Abrahæ dici posset, quandoquidem semen

men materiale sit vocabulum, quo digitus intenditur in ipsam massam humanam ex qua generatur homo) sed qui assumturus sit in his terris ex matre sua nata ex semine Abrahæ, verum & naturale corpus secundum omnes proprietates simile nostris corporibus, excepto peccato. Quod contra Marcionitas, quoties Christus semen dicitur, diligenter observandum est: itemq; contra Apellem id facit, qui quidem veram carnem Christum accepisse asserebat, sed ex mundi regione Elementari superiori, quod directè impingit in scopum huius vaticinii, quo Deus ortum huius seminis, non tantum à vagis mundi Elementis, sed etiam ab omnibus omnium nationum familiis ad solam gentem Abrahamicá adstringit, unde principium humanæ naturæ sit constituendum. Ratione officii quis futurus sit Christus etiam hic perstringitur, videlicet, venire illum in benedictionem omnium gentium. Quod opus quia merè divinum est, quod à nudo homine proficisci nequit, de altera Messiæ natura, divina, haud obscurũ pariet nobis indicium, quod aliis scripturæ locis collatum plenam utriusq; naturæ in Christo demonstrationem gignet.

II.

Progressus autem seu Climax (aut si malis dicere auream catenam) promissionum divi-

divinarum de Christo ante omnia hic accuratè supputetur & observetur. Nam non tantum continuâ seculorum serie Deus promissionem de Christo edidit & promulgavit: sed & illa, quæ ad scientiam inducendam, optimè facit, methodo constanter usus est, idque, ne in scientia seu agnitione Christi ullo modo vel error vel dubium suboriretur. Initium concionum de Christo erat semen mulieris, qua promissione generalissimâ, & adhuc latè admodum patente, spem Deus fecit de Incarnatione Messiæ, qui ex genere humano sit nasciturus: nunc Deus denuò repetit hanc promissionem, & aliquantò arctius illâ ad certam gentem, Abrahamicam videlicet, constringit: progrediundo á genere generalissimo ad genus specialius, hinc enim non tantum constabat Messiam ex genere humano proditurum, sed etiam ex quanam gente vel familia nempe Abrahami. Porrò cum Abrahami familia rursus in duo dilataretur cornua, nempè in familiam Ismaëlis & Isaaci; Deus iterum consulturus nobis, specialius nativitatem Messiæ ad Isaaci gentem restringit, Gen. 26. v. 4. Præterea cum & Isaac duos generaret filios Esavum (à quo Esavitæ & Idumæi) & Iacobum; Deus præteritis Idumæis, ad Iacobum revocavit propaginem Messiæ, Gen. 28. ver. 14. Iacob Patriarcha prolificus

gene-

generans ex se 12. filios, ne videretur ipse promissionem velle facere dubiam aut confusę notam, ideoque impulsu Spiritus sancti hanc promissionem divinam ad filium suum Judam eiusq; tribum restrinxit. Rursus quia progressu temporis in ipsa tribu Juda variæ & illustres subnascebantur familiæ, ne hic in dubium res abriperetur, Deus præ omnibus familiis in Juda stemma Isai & qui ex hoc patre nascebatur Davidis regis domum designavit ex qua expectandus esset Messias, 2. Sam 7. ver. 12. Psalm. 89. v. 37. Heb. 1. v. 1.

Hisce sic determinatis & repetitis promissionibus subvenerunt tandem Prophetæ, qui adjecerunt multas, temporis, loci, personarumque circumstantias, quibus quicquid adhuc erat generale & latè patens limitabant & constringebant, donec Angelo è cœlis mitteretur & coram demonstraret virginem Mariam matrem Messiæ, & tandem prodromus Christi Ioannes, extenso Indice (particulaque demonstrante: *Hic est agnus Dei*) ipsum individuum Messiæ non describeret sed designaret. Hæc est illa gradatio continua promissionum sacrarum de Christo, quæ à genere generalissimo ad subalternam, & ab illis ad speciem specialissimã, à specie ad ipsum tandem decurrunt Messiæ individuum. Ecce tàm sollicitè Deus egit negocium de revelando Mes-

do Messiâ, quia res erat ardua & in illa consistebat salus & vita æterna, ut inquit Christus: *Hæc est vita æterna, ut te agnoscant solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, Ioan. 17. v. 3. Nos ergo vestigia huius Methodi retrò legamus, atque ita in infallibili Messiæ demonstratione & agnitione solidè confirmabimur.

III.

Quia vero Messias hîc semen Abrahæ futurus dicitur, & Deus tàm exactè hactenus familiarum discretiones, ut dictum est, annotavit, quæ nunc penitus etiàm inter ipsos Iudæos collapsæ sunt, patet Judæos stultè imo plus quàm stultissimè facere, quod etiamnum hodie exspectent nescio quem novum Messiam, qui venturus sit. Nam ipsi Judæi tantum abest vt Genealogias habeant certas & distinctas, vt ne ipsi quidem, qui nunc in orbe vagantur, demonstrare certò possint, an sint semen Abrahæ, qui potius sunt mera colluvies, quæ vndique confluxit ex omnis generis hominibus, vel Saracenorum, vel Asiaticarum vel Europæarum vel aliarum gentium. Quod si igitur ne ipsi quidem Judæi suam norunt deducere originem, quando & unde exspectabunt Messiam ex semine non alio, quam qui Abrahami est? quod an & vbi gentium sit, ne immensâ indagine quidem norunt expiscari.

Et

Et quis hic tantoperè cæcutiat, qui persuaderi sibi sinat, Deum tàm degenerasse ab antiquo suo more, ut tot annos passus fuerit distinctiones Genealogicas concidere, patiaturq; adhuc hodie in tantà confusione hærere & planè perire gentem judaicam? Unde deridendi sunt merito suo excęcati Judæi, quod somniant & fingunt sibi adhuc spem & exspectationem Messiæ alicuius ex semine Abrahæ, cum ipsa Abrahæ posteritas non extet amplius, sed infinitis modis cum omnibus totius mundi gentibus commixta & confusa sit.

IIII.

Porrò si omnes ex æquo gentes benedicendæ sunt in semine Abrahę, sequitur quod Messias non sit politicus quidam rex futurus, qui in populo judaico ullum sit regnum mundanũ aditurus: talem enim sibi Judæi somniant, & præ se superciliosè hoc nomine contemnunt גויים *Goym*, gentes, quæ non sunt sanguinis Judaici, utpote quas effictus illorũ Messias sit planè pessundaturus. Quod certè cum hoc oraculo divino non congruit. Non enim hic profligantur gentes in exterminium, sed receptantur & includuntur simul sub umbram benedictionis Messiæ. Et deinde non dicitur hic de Messiâ, quod manu ar-

nu armatâ sit dominaturus politicè in certâ aliquâ mundi plagâ : sed ut audis, benedictionis eius fit hoc loco mentio. Benedictio autem est ministerium cordis & oris. Unde haud tectè repudiatur hisce verbis somnium Iudaicum de regno aliquo Messiæ mundano, quod spirituale est, consistens in majestate gratiæ, clementiæ, & benedictionis cœlestis.

V.

Si in Messiâ benedicendæ sunt omnes gentes, sequitur quod omnes gentes prout extra hunc Messiam considerantur, sint maledictæ, & sanè quemadmodum benedictionis genus spirituale est, ita maledictionis hoc genus itidem spirituale erit : Et per consequens totum genus humanum in suâ naturâ consideratum, erit spiritualiter maledictum. Quæ maledictio admodum est penetrans & periculosa, orta ex violatione legis, quæ spiritualis est, quam Deus sub pœna maledictionis æternæ vult inviolatam : *Maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis*, Deut. 27. v. 27. Et quia omnes gentes non permanserunt in omnibus, ideoque ex æquo omnes incurrerunt hanc maledictionem, sub quâ quia sunt omnes, audituri quoque fuissent ex æquo omnes tremendam illam judicij vocem, quæ extat : *Discedite à me maledicti in ignem*

ignem æternum, qui paratus est Diabolo, &c. Matth. 25. v. 41. nisi facta fuisset remissio & reconciliatio per semen hoc benedictum, qui est Dominus noster Iesus Christus, qui *factus est pro nobis maledictus, & nos de maledicto Legis redemit,* Galat. 3. v. 13. Unde nunc æquiorem accepturi sumus sententiam in extremo die, quâ acclamabit nobis Christus dulcissima voce: *Venite, venite, Benedicti, &c.*

VI.

Et quia hæc benedictio pertinet ad omnes gentes, neque tamen omnes gentes participant fructum huius benedictionis, accuratè discendum est, quomodo illa in nos quoq; derivetur nobisque applicetur. Paulus illud ostendit Gal. 3. v. 14. nos hanc pollicitationem accipere per fidem. Fides enim est illa præsentissima manus, quâ nobis hæc bona per Christum facta applicantur. Per hanc enim quilibet homo seipsum quoque insinuat hisce promissionibus, & quod universaliter promissum omnibus, ad suum ipsius trahit individuum, cum personali fiduciâ, sibi quoque partam & paratam esse benedictionem æternam per Christum. Quia enim promissio universalis pertinet ad omnes homines, Ergo sequitur, ut quicunque tandem ille sit hominũ, applicans sibi hanc verâ fide promissionem, impetret quoque eandem. Atque ob id, ut recte pos-

ctè possit hæc individualis applicatio fieri, relinquendæ sunt hæ promissiones ex voluntate Dei profectæ, in suis universalitatibus incorruptæ, & postea per conditionem fidei applicandæ ad certa subjecta. Econtra autem si qui hanc benedictionem non tantum non applicant, sed etiam repudiant, manent extra benedictionem sub fulmine extremæ maledictionis, de quibus Psalm. 109. vers. 17. *Et dilexit maledictionem & veniet ei, & noluit benedictionem & elongabitur ab eo.*

VII.

Siquidem ipse patriarcha Abraham etjam incluſus sit numero omnium gentium, atque ex seipso in suâ naturâ nihil habeat benedictionis, itaque necesse est, ut si ipse quoque velit esse in numero benedictorum interventu benedictionis per Christum factæ benedictis se annumeret. Qua ratione colligitur ipsum Abrahamum salvandum salvatumque esse eadem planè, quâ nos, fide & viâ, nempè per imputationem gratiæ & benedictionis per Christum comparatæ, quod factum esse Christus ipse fatetur, cum inquit: *Abraham vidit diem meum & gavisus est.* Ioan. 8. vers. 26. Atque ita fuit etiam Abraham, vir Euangelicus & bonus Christianus, cui ipse Deus pro-Evangelizavit, ut loquitur Paulus.

lus. Quotquot ergo per fidem conformes redduntur huic patriarchæ, illi annumerantur semini & filiis Abrahæ, qui est pater omnium credentium. Itaq; receptatio hæc in censum filiorum Abrahæ non fit per carnem, sed per fidem: *qui enim filij promißionis sunt, æstimantur in semine*, inquit Paulus, Roman. 9. v. 8. Et hæc est illa vera gloriatio Christianorum omnium, quâ se Abrahæ semen appellant, quæ solidè opponi potest Judæorum jactantiæ, qui in stulticiâ carnalis prærogativæ præ cæteris gentibus turpiter se efferunt: *Non enim ex sanguinibus neque ex voluntate viri, sed qui ex Deo nati sunt, hi scilicet sunt filij Abrahæ*, Ioan. 1. vers. 12.

VIII.

Benedictio hæc spiritualis, de quâ hîc sermo est, verè est Cornu-copiæ multorum bonorum spiritualium abundè in nos à DEO collatorum. Et ut supra uno diximus verbo, ex Epistola ad Galatas; Est ipsum Spiritus sancti donum, quo respiciens Paulus in dulcissimam resolvitur gratiarum actionem pro accepto huius Benedictionis beneficio, cũ inquit, Eph. 1. v. 3. *Benedictus sit Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus.* Nominat illã benedictionẽ *Omnem* ceu universalẽ, non mancã, non mutilã, Dei quidem respectu. Deinde ap-

pellat ſpiritualem : Tertiò accenſet illam claſſi non terreſtrium, ſed cœleſtium bonorum. Ex quibus ſatis ſplendidè elucet, quid ſibi velit hęc plus quàm aurea de benedictione promiſſio. Atque ut illa ipſa benedictio explicatiùs intelligatur, ſubijcit ibidem Deus per ἐπεξήγησιν, ſpecialem multorum ſpiritualium bonorum enumerationem, quibus benedixerit nos Deus. 1. recenſet electionem factam in Chriſto, verſ. 4. 2. υἱοθεσίαν ſeu adoptionem in filios, verſ. 5. 3. gratificationem qua fecit nos acceptos & bene caros Deo, verſ. 6. 4. redemptionem per ſanguinem Chriſti, v. 7. 5. remiſſionem peccatorum, ibidem. 6. miniſterium verbi, quo fecit nobis notum Sacramentum voluntatis ſuæ, v. 9. 7. vocationem, v. 11. 8. & ultimò, verſ. 14. pignus hæreditatis noſtræ, ſpiritum ſanctum, & ipſam tandem hæreditatem & ſalutem æternam. Tot enim & tanta bona nobis promeruit benedictio Chriſti ſpiritualis, pro quibus omnibus benedictus ſit Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, Amen.

TER-

TERTIVM VATICINIVM.

DE MAGNO PROPHETA CHRISTO.

EXPLICATIO PROPHETIÆ Deut. 18. vers. 15.

Prophetam de gente tuâ & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominꝰ DEVS tuus, ipsum audies, ut petisti à Domino DEO tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini DEI mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi, benè sunt locuti, Prophetam suscitabo illis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loquetuŕ ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.

ARGVMENTVM.

DUæ ſunt potiſſimæ partes officii, quo fungi debebat in terra tempore miniſterij ſui Meſſias. Prima erat opus redemptionis ſubeundum pro peccatis totius generis humani : altera munus docendi in populo Judaico, ut videlicet ipſe eſſet Doctor Eccleſiæ proferens Evangelium ex arcano ſinu patris, vocans ad ſe peccatorem per pœnitentiam, inſtituens novam formam cultus divini, reformans religionem corruptam, & vero nitori reſtituens, idque tùm per ſe, tùm per Apoſtolos in terram Judaicam primùm, deinde in totum orbem terrarum ad docendum emiſſus. De hac altera officij Chriſti parte ſonat hoc vaticinium, in quo Deus munus docendi in Eccleſia filio ſuo deſtinatum, prædicit plus quàm antè annos 2000. Narratur autem ſimul occaſio, nempè ex rogatione legis divinæ admodum terribili, in qua, quia experiebatur populus ſe cum Deo legali & abſoluto ſine mediatore agere non poſſe, orant & impetrant hanc de mittendo mediatore promiſſionem, qui ſit internuncius Dei ad homines & contra. Et eſt ille nullus alius, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui jubetur audiri, & de quo pater repetivit idem hoc

man-

mandatum : Hunc audite. Additur etiam comminatio ultionis divinę contra omnes contemptores, qui non audituri sunt hunc Prophetam Iesum Christum. Et hæc est summa huius vaticinij.

DEMONSTRATIO ARGVMENTI.

QUod autem hic verus sit sensus & intentio huius vaticinij, eius rei habemus nos in Novo Testamento testes omni exceptione majores Stephanum & Petrum. Petrus Actor. 3. v. 22. hanc Prophetiã in Iesu Christo completam sine contradictione evincit. Stephanus Actor. 7. v. 37. allegatione eiusdem dicti Petro se consentire testatum reddit. Et sanè Petrum quod attinet, prę-cisè ille Prophetiã hanc ad solum Christum, & quidem illud ipsum ad idem officij Christi tempus restringit : Dicit enim : Omnes Prophetas annunciasse dies istos, atque δεικλικῶς ait : Omnis anima quæ non audietur τῦ προφήτυ ἐκείνυ, Prophetam illum &c. ut non sit quod nos Christiani dubitemꝰ, hanc Prophetiam de solo Christo accipiendam, & in illo completam esse. Judæi pro illa, quâ percussi sunt cœcitate, hunc textum vel de Josua vel Ieremia accipiunt : Sed ut fit, qui semel verecundiæ limites transilijt, illum oportet esse

gnaviter impudentem. Nam non tantum hęc perversa explicatione desciverunt à nobis Christianis, sed à communi & recepta populi sui sententia. Cum enim Petrus in conventu multorum millium pro concione hęc verba de Christo afferret, ne unus quidem in toto populo judaico inventus est, qui obloqueretur; Et Petrus pro confesso sumebat, hoc vaticinium de nullo alio quàm de venturo Christo sonare, & in eo tantum laborabat, ut de hoc Iesu loqui subsumeret. Dubitandum ergo non est, Apostolum sciviſse & secutum esse vulgatam tunc temporis receptam expositionem, atque ita ἐκ τῶν διδομένων, ex datis, sic probationem suam suscepisse, ut nemo eorum qui adesset, salvo pudore & conscientia posset contradicere. Sicut & liquidum est ex tota historia Evangelica, fuisse inter illos talem huius oraculi sensum receptissimum. Quid enim aliud quam hoc vellet Nathanaël Ioan. 1. ver. 45. cum inquit: *Quem scripsit Moses in Lege & Prophetæ, invenimus.* Et hoc est, quod populus cum articulo δεικτικῷ, de Christo sic loquitur: Ioan. 6. v. 14. *Hic est verè ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος, ille Propheta, qui venturus est.* Et Ioan. 8. v. 40. *Hic est verè ὁ προφήτης, ille Propheta*, quod Christi Epitheton non nisi ex hoc loco potuerunt sumsisse. Unde patet hanc explicationem apud Judæos istius temporis sincerio-

ceriores hoc modo receptam fuisse & communem. Jam quod de Josua & Jeremia deliranr, ipsius textus verbis repugnat. Iste enim Propheta, de quo hoc loco sermo est, non tantum Moysi æquiparatur statu, conditione, autoritate, munere docendi, sed & longe antefertur, cui Moses ultrò his verbis cedit magisterium. Nullus autem subsequentium Prophetarum licet eximius contulit, multo minus prætulit se Moysi, sed omnes huius præceptoris discipulos se esse passi sunt ad Christum usque: neque id injuria, cum nullus prophetarum conferri, multo minus præferri possit Moysi. Et quod Josuam attinet, non erat ille propriè Propheta, sed dux. Taceo quod in textu additur, *Secundum quod petijsti in Horeb*; petebant autem tunc temporis clementiorem & suaviorem colloquendi cum DEO modum, magisque captui humano proportionatum. Quid autem hoc ad Josuam? ad Christum autem maximè, quia non est humanior aut suavior manifestationis divinæ modus, quàm fuit Christo veniente in carnem. De nullo ergo alio, quàm de Christo hæc verba accipi possunt. Calvinus, etsi reijcit Judæorum commentum, tamen non vult hanc Prophetiam præcisè de solo Christo accipiendam, & ad unum aliquod breve tempus restringendam esse: sed accommodat illam ad

ad seriem omnium Prophetarum, ut Enallage sit numerorum, Dabo Prophetam, h. e. dabo Prophetas continua serie se mutuò subsequentes, ut legendum jam sit, quicquid in singulari numero dicetur per numerũ pluralem. Sed huic glossemati apertè contradicit Petr⁹. 1. Quia δεικτικῶς loquitur: ἐκεῖνον, *ille Prophetam*. 2. Quia Apostolus secus quàm Calvinus sentit, accommodat certè hanc prophetiã ad breve, imò ad unum illud instans tempus, quo jam in Christi officio completio facta est. 3. Quia in verbis Petri expressè segregatur numerus reliquorum Prophetarum ab hoc uno Propheta, & hic ab illis: inquit enim, omnes Prophetas à Samuele, & deinceps locutos fuisse de diebus istis, in quibus scilicet hic Propheta exhibendus fuit. Quomodo ergo tota series Prophetarũ, qui de hoc uno locuti sunt, in hoc Propheta sit inclusa, nisi de seipsis voluissent vaticinari singuli? quod absurdum est. Hisce rationibus apud animũ ponderatis exspirare oportet ratiunculas huius sapientuli, quas ab antecedentibus & consequentibus petiisse videri vult, quę hac unica responsione reiiciuntur; Prophetiam hanc suis certis esse inclusam terminis, sibique sufficere & in sese subsistere, nec cum alienis commiscendã esse, quandoquidem non novum sit Spiritui sancto jam commonefactionem, jam promissionem, jam

jàm comminationem, jam aliquid aliud discretim tractare, quæ omnia sub uno contextu explicare velle, corruptoris & confusoris non interpretis esset. Quod autem Calvini discipulus præceptorem juvare vult hoc modo, ut quæ versu 14. extant de Christo, & quæ versu 18. sequuntur de serie reliquorum Prophetarum accipiantur, turpissima textus lancinatio est. Nam non duplex sed una & eadem est promissio, quæ de re eadem intelligenda est, nec ullo modo divelli potest: ea enim quæ initio Moses suis verbis recitavit, postea mutatâ persona Dei loquentis autoritate vult confirmare, id quod rei dignitas postulare videbatur. Et hæc ita se habere series textus commonstrat: initio enim Moyses promissionem hanc enunciat; deinde occasionem illius recitat; denique confirmat eandem promissionem Dei autoritate, qui illam diu ante decreverat, & Mosi manifestârat statim in monte: quid potest firmius cohærere? quis hæc nisi plane impudens divellat? nihil ergo affertur, quod nos à simplici & planâ Petri interpretatione & veritate ipsâ vel latum unguem dimoveat. Quod erat demonstrandum.

ΠΑΡΑ-

ΠΑΡΑΦΡΑΣΙΣ.

VT Propheta Moſes in toto hoc libro in quo repetitionem & explicationem legis divinæ inſtituit, imminentem mortis ſuæ temporalis articulum reſpicit, ita maximè in editione huius vaticinii ob oculos mortem ſuam habet poſitam. Inſtabat enim hora, qua Moſes animam expirare & ergaſtulum corporis ſui deponere cogebatur. Ne autem populus obitu ſuo vel à lege deſciſceret, vel etiam in deſperationem nuda legis meditatione præcipitaretur, ideo poſt explicationem legis hanc de venturo Chriſto Evangelicam promiſſionem interſerendam eſſe, omninò judicavit Eccleſiæ DEI neceſſarium. Quam ſic narrat: *Prophetam de medio tui & fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies:* Quaſi dicat, inſtat mihi hinc abeundi terminus, & accelerat hora meæ mortis, imo verò ſicut ego nunc pro mea perſona ſuccumbo, ſic veniet olim tempus, ut totum meum legale miniſterium, quod hactenus inſtitui, & pluribus repeti, & inculcari hucuſque audiviſtis, ſuccumbat, & quaſi commoriatur, & expectandus erit alius vobis Propheta omnium prophetarum, & doctor omnium doctorum Meſſias, in quo acquieſcent omnes Prophetæ, quiq; eſt, eritq; ſcopus, ad quem omnes

omnes Ceremoniæ & Prophetiæ collimabunt, quem ſuſcitabit, quem mittet, quem progredi faciet, non humana aut Angelica vocatio, ſed immediatè ipſe Deus tuus. Qui ortum capiet tamen *de medio tui & de fratribus tuis*, h. e. erit tuæ gentis & tui ſanguinis, tibi non vicinus tantum, ſed concivis, non affinis, ſed conſanguineus & confrater. Faciet autem illum *SICVT ME*, hoc eſt, mihi autoritate, miraculis, docendi facultate & officio, non tantum parem, ſed & longè ſuperiorem, cui ego magiſterium & doctoralem dignitatem facilè cedo, quem ſuſcitabit Dominus *Tibi*, in tui gratiam, emolumentum, & æternam ſalutem, qui quia tui cauſa veniet, fas eſt omnino illum à te audiri. Quia autem inauditum & valdè novum hoc erat pronunciatum, volebat Moſes animos auditorum ſuorum in hac certitudine & fide firmiſſimè corroborare, itaque ſubiicere volebat, non eſſe putandum, quod hæc promiſſio ſibi jam primum naſceretur in bucca, aut quod ex ſuo proferret illam cerebro, ſed ſe diu illam animo ſuo circumtuliſſe, atque ex ipſius ore Dei hauſiſſe. Si enim accuratius verba Moyſis inſpiciamus, revelata illi fuit hæc promiſſio ſtatim in iſto anno, quo poſt exitum ab Ægypto in eremum venerunt ad montem Sinai, ubi Lex Dei promulgabatur menſe tertio die prima,

&

& nunc cum legem repeteret agebatur mensis vndecimus anni triceſimi noni, quo ſubſtiterant in Eremo, à quo uſque tempore Moſes hanc promiſſionem animo ſuo ſepultam habuerat, edendam tandem abſolutâ jam Lege, & fœderis veteris inſtitutione conſummatâ, ut eo eſſet illuſtrior & dulcior. Occaſionem autem factę ſibi huius promiſſionis hanc narrat Moſes fuiſſe *in monte Horeb*, qui & mons Sinai dicitur. Cum enim Deus in illo monte legem ſuam promulgaret, ut legitur Exod. 20. & multis fulminibus, fulguribus, tonitruis, ignibus, terræmotibus, nebulis, ingenti tubarum ſono, in monte appareret, ad extremâ animi ſunt ſpectatores redacti anguſtiam, & ob id magno pavore percuſſi ſuſpirârunt & orârunt ad Moſen, dicentes: *Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus*, h. e. petimus alloquium mitius, & magis proportionatum captui noſtro; non poſſumus enim tantam majeſtatem ferre. Atque in eâ ipsâ concione congregatâ quilibet illorum clamabat: *Non audiam vocem Domini Dei mei; & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar.* Quibus verbis fatebantur dilucidè, quod cogerentur omnes & ſinguli derepente concidere, collabi, extingui, ſi tàm horrenda Dei vox ſine interventore & Mediatore amplius haurienda, & tàm terribilis aſpectus ignis diutius

utius sustinendus esset, tantopere percellebantur spectaculo horribili. Quem illorum pavorem tùm temporis animadvertit Deus, & hæc illorum suspiria non tantùm audivit, sed exaudivit. Probè enim sibi perspectam habebat totam non tantum huius populi sed & totius generis humani imbecillitatem, præ quâ non posset iram & legem divinam sustinere, ideò ultrò ad Mosen se convertens, dixit Deus: *Benè sunt locuti*, agnosco illorũ imbecillitatem, animadverto illorum pavorem, video quid suspiriis suis quærant, & quid illis desit, quidq; vel inscii requirant in his terroribus, ad quos rigore legis meæ deducuntur: non possunt enim mecum sine interventore agere, qui sit mediator inter me & illos. In qua quidem petitione prudenter & benè faciunt quod mediatorem petunt, imprudentius autem aut certè non sufficienter petunt, quod postulant sibi tantum mediatorem ad tempus, quoad hunc unicum actum, temporaneo enim mediatore dato parum sublevarentur, cum non hac vice tantum tàm sim terribilis peccatoribus, sed & in æternum talis & idem sim. Complebo ergo insufficientem huius populi petitionem, & dabo illis non tantum mediatorem temporaneum, sed æternum, non talem tantum, qui inter me & hunc populum intercedat, sed qui intercedat inter

me & inter totum genus humanum, qui erit Messias, de quo ante multiplices promissiones feci, per quem mitius loquar, & in quo apparitionis meæ suavius & humanius edam spectaculum, in quo non habeant, quod abhorreant. Hæc fuit occasio huius dulcissimæ promissionis de venturo Messia appariturо non in specie terribili, sed amica, sed affabili, sed blanda, qui non sit futurus austerus, non turbulentus, non clamosus, & qui calamum quassatum non sit contriturus, nec linum fumigans extincturus: Qui sit futurus mitis & humilis corde. Matthæi 11, vers. 29. Itaque DEVS misertus pavoris & fragilitatis sui populi fecit Moysi hanc promissionem, suo tempore post, explicata jam lege, revelandam, qua sic dixit planè, ut paulo ante Moyses recitârat his verbis: *Prophetam suscitabo illi de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius.* Quibus verbis DEVS indicat primò, quis futurus sit: Deinde qualis: Tertiò quantus. Futurus est ratione naturæ suæ unius, homo natus ex stemmate & sanguine populi Judaici, atque illis frater. Quod autem sit futurus etiam DEVS id aliunde constat. Qualis autem futurus sit, patet, quia nominatur Propheta, neque enim futurus est mundanus guber-

nator,

nator, armis & gladio potens, sed Doctor. Et quidem non doctor infimi subsellii, sed similis Moysi. Non oscitanter autem tractanda sunt hæc verba, quibus dicitur Christus Moysi similis futurus. His enim olim hæretici abusi leguntur, ut animadvertere est apud Augustinum contra Faustum Manichæum libro 16. capite 4. & 15. Arriani enim poterant hoc Textu abuti: Si Christus similis Moysi est: Ergo ψιλὸς ἄνθρωπος, nudus homo. Econtrario si non est similis Moysi, quomodo de Christo hæc Prophetia accipiatur. Eligebant enim sibi Manichæi hoc dictum, tanquam facilè repellendum: unde Faustus comparans Christum & Moysen, & cupiens demonstrare non esse similes, opposuit sibimet ex adverso multa contraria: quo ille homo, hic DEVS, ille peccator, hic sanctus: ille ex utroque parente natus, hic secundum nos ex virgine: ille offenso DEO sit occisus in monte, hic patri perplacens passus sit propria voluntate. Hæc Faustus. Sed facilis est responsio, si mens & scopus huius vaticinii respiciatur, imò si ipsa verba. Agit enim hęc Prophetia de Christo, non quoquo modo considerato, sed quatenus Prophe-ta est, h. e. quatenus gerit munº docendi. Itaq; verba hæc (*Prophetam similem tui & prophetam*

sicut te) sunt verba collationis, non absolutæ, sed cum restrictione videlicet quoad Propheticum seu Doctorale munus. Si enim Deus dixisset, Virum aut personam similem tui suscitabo, habuissent fortasse Arriani, quod potuissent calumniari. Et: si dixisset, virum suscitabo per omnia tibi similem, habuissent Manichæi, quod potuissent cavillari. Itaque neutri parti quippiam juris in his verbis cedit. Sed Arrianis rectè respondetur, similitudinē collationis huiꝰ esse non in substantia aut persona, sed in officii qualitate, & quidem κατὰ μέρος, ex parte. Manichæis eleganter & graviter Augustinus respondet, his verbis: *Quasi vero cum simile aliquid dicitur ex omni parte atq; ex omni modo simile intelligatur: quia non ea tantum quæ unius eiusdemq; naturæ sunt, dicuntur inter se esse similia, verum etiam quæ naturæ disparis, sunt & dicuntur multa similia. Quid ergo mirum, si non est dedignatus Christus similis fieri ipsi Moysi, qui similis factus est ovi. Quapropter de scripturis agnosco dissimilem, de scripturis mecum agnosce & tu similem.* Et quæ sequuntur. Quid vero potest concinnius responderi? Itaq; ad rectè intelligendum textum, tàm disparata, quàm similia inter Christū & Moysen congerenda sunt, e. g. conveniunt Moyses & Christus. 1. enim sicut Moyses extractus est ex faucibus præsentissimæ mortis, cum arculæ inclusus mari expositus

positus esset, ita Christus extractus est ex faucibus ipsius mortis, à sepulchro & abysso fluctuum infernalium, ut Christus inquit Psalm. 69. ver. 1. *Salvum me fac, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Deinde Moyses dicitur extractor, quia eduxit populum ex servitute Ægyptiaca: sic Christus liberat nos ex servitute peccati, ut jam liberi simus, Ioan. 8. v. 36. item, sicut Moyses elegit potius esse pauper, nec dici filius Reginæ, ita & Christus Hebræor. 11. v. 25. 2. Cor. 8. v. 9. & sicut Moyses volens esse judex fratrum, rejectus est, ita & Christus. Porro ut Moyses coactus est subire exilium; ita & Christus exulare in Ægypto coactus est. Deniq; ut Moyses erat bene afflictus homo, Psalm. 106. v. 32. ita & Christus. Et sic quæ sunt huiusmodi. Dissimilis autem est Christus Moysi, & quidem dissimilim⁹ ratione personæ: quod Christus Deus est & homo in una persona. Moyses nudus homo, & quidem homo peccator. Deinde ratione officii, quod etsi χριτικῶς in eo conveniat, ut sicut Moyses sit Doctor excellens, ita & Christus; tamen partes huius officii διδακτικῶς sumtæ multum inter se discrepant; Primò, ratione temporis, quia ille instaurator veteris, hic novi Testamenti; ille servus prænuncians Dominum venturum; hic Dominus prænunciatus & jam exhibitus. 2. ratione qualitatis doctrinæ

ctrinæ illius, Doctrina fuit Typica constans umbris: hæc in Antitypo corpus exhibet. 3. ratione modi propagandi, Moyses in una gente instaurabat suas Ceremonias & alligabat templo, Christus vero in Spiritu & veritate transibat ad omnes gentes. 4. differt etiam Mosaica & Christi doctrina ratione fructus, quia Moyses accusat, Ioan. 5. vers. 45. Christus justificat, Moyses vulnerat, Christus sanat & cætera. Atque ita Christus & Moyses similes sunt & dissimiles sunt, ut dictum est. Vult igitur DEVS dicere: Hic Propheta, de quo mihi sermo est, erit similis tui, scilicet quo ad doctoralem autoritatem & dignitatem, dissimilis autem quoad per-
3 sonam & fructum ministerii. 3 Quantus etiam futurus sit hic promissus Propheta, addit DEVS, cum inquit: *Ponam verba mea in ore eius*, hoc est, sicut Aaron hactenus fuit tuus Orator, in cuius ore tu mea verba posuisti, Exod. 4. vers. 15. ita hic Propheta Christus erit os & Orator meus, & ego ipse immediatè ponam verba mea in ore eius, ut loquatur ad eos omnia quæ præcepero illi, & nihil proferat, quod non ex arcano & intimo mei cordis sinu profectum sit. In omnibus

bus ergo illis quæcunque locutus fuerit audiendus erit, tantus hic Propheta & tanti erit faciendus, ut habeatur tanquam os DEI loquens, λόγ@ Orator DEI. Quia subiicit DEVS in hac clausula severam comminationem contra contemtores huius Doctoris. Vult enim DEVS, ut Christus suus sine ulla exceptione apud omnes singulari autoritate doceat, & ab omnibus recipiatur & exaudiatur. Si quis istuc pertinaciæ progrediatur, ut verba eius quæ loquetur, audire nolit, is illud non feret impune, *Ego ergo*, minatur Deus, *VLTOR existam*: hactenus gladium & judices constitui, per quos executus sum pœnam rebellium, sed hic ipse manu propriâ ultor ero. Qua autem vindictæ specie Deus persecuturus sit illos, qui hunc Prophetam non sunt excepturi, declarat Petrus in Actis cap. 3. vers. 23. inquiens: *Omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.* Quæ exterminatio potissimum respicit hæreditatem vitæ æternæ, ut alibi explicatur, nempe qui non crediderit huic cœlesti Doctori, damnabitur in æternum. Quibus verbis circumfundit Deus Christo suo divinam autoritatem, ne quis hunc doctorem ullo modo contemnat. Hæc est dulcissima illa

promissio pavido & perterrito populo Israëlitico facta, cum faciem Dei justi judicis legem ferentis ferre non possent, ut expectarent alium Prophetam, quàm fuit Moyses, cuius interventu mitius Deus cum illis ageret.

LOCI COMMUNES.

I.

DIscamus cur Christus toties suis discipulis Moysen commendàrit, illosq; ad ipsius scripta remiserit. Jubet enim suos auditores scrutari scripturam, quia illa dilucidum de Christo perhibet testimonium Ioan. 5. v. 39. & eadem de causa ibidem v. 46. ait: *Si crederetis Moysi, crederetis utique & mihi, de me enim scripsit ille.* Sive enim scripta Moysis spectes, quoad historicè descripsit promissiones de Christo primis parentibus factas, vel ab ipsis Patriarchis editas hic spectes, quoad ipse Moyses in figuris & concionib⁹ de Christo vaticinatus sit, certum est quod infallibile de Domino nostro Iesu Christo ferat testimonium. Etsi enim Moysis officium proprium est accusare, ut allegato loco Christus dicit, hoc est tractare legem, & explicare: tamen haud raro inspergere quoque debebat opus aliud: Hoc est vaticinia edere de Christo, quod sine doctrina Evangelica nunquam colligi & subsistere posset Ecclesia Dei. Hinc jam

jam factum est, ut Christus recte suos auditores & discipulos ad Prophetas, & inter illos nominatim ad Coryphæum omnium Prophetarum Moysen quoque remiserit. Unde jam sponte sequitur. 1. Quod Moyses & Christus non sint sibi contrarij, sed subalterni. Deinde quod Christus non venit solvere legem Moysis, sed implere, Matth. 5. v. 17. Denique quod frivolum, imò nihil sit, quod Judæi Ioan. 9. vers. 28. prætendebant, se non esse aut posse esse Christi discipulos, quia sint Moysis discipuli, effictũ enim id est & falsum. Si enim genuini Moysis discipuli fuissent, utiq; & Christi discipuli facti essent. Cum igitur non sint Christi discipuli, sequitur ex oppositο, quod Moysis discipuli non sint. Nos qui & Moysis & Christi discipuli verè esse volumus, Christum in scriptis Mosaicis quæramus. Quod si facimus, verum certitudinis nostræ κειτηριον adipiscimur.

II.

Considerandа diligenter hìc est, illa officii Christi pars, quâ ipse præco & Doctor Ecclesiæ esse debebat. Unde nomen Prophetæ sortitus. Nam inter officii Sacertotalis partes, docere, sacrificare, orare, etiam non est postremum docere. Est igitur & esse debebat concionator Ecclesiæ Christus, ad quam functionem non perveniebat temerè, nec sume-

bat sibi hunc honorem, Hebræor. 5. vers. 4 Sed ut ex ore ipsius Dei & Moysis audimus, electus fuit & vocatus ad hoc officium docendi in Ecclesia à patrono Ecclesiæ summo, videlicet immediatè à Deo ter Maximo. Et in hoc Mosaico vaitcinio habes literas vocationis huius divinæ, quâ Deus pater dicit, se suscitare hunc concionatorem, hoc est, ad hoc munus eligere, nominare & vocare. Ubi autem veniebat plenitudo temporis, mittebat Deus pater hunc concionatorem filium suum in mundum, & præsentabat illum toti mundo per divinum incarnationis mysterium. Postea instituebat DEUS pater hunc concionatorem ipse in baptismo, imponebat illi manum, mittendo super eum digitum Dei, qui est Spiritus sanctus, & publica voce proclamabat illum præconem verbi, quem audire omnis populus teneretur. Et ne hic Propheta haberetur ut concionator gregarius, sed promoveretur ad superiº & doctorale, ut vocant, subsellium, itaq; neq; in eo quicquam defuit. Postquam enim Ecclesiæ esset sic commendatus, rapitur ad disputationem & examen admodum, ut vocant, rigorosum, videlicet in conflictũ cum Diabolo in deserto, in quo per quadraginta dies mirificè exagitatus est tàm ad extra, quàm ad intra argumentis gravibus & acutis, quibus infernalis Sophista Diabolus

enixè

enixè conatꝰ est Christũ à solio cathedræ deiicere, superare & confundere, & præripere illi hanc Doctoralé dignitatem. Vicit autè hic divinus Orator & præsul virtute & verbis, atque omnia Diaboli Sophismata & nodos gladio Spiritus sancti dissecuit. Atque ita occupavit in docendo supremam cathedram. Et Deus pater hunc candidatũ candida & ætherea veste in monte Thabor indutum in præsentia & cum communi suffragio totius Theologici Collegii, quod constabat cœlestibus & terrestribus testibus Moyse, Elia, Apostolisq; tribus solenniter renunciavit Christum Doctorem totius mundi: Ecce enim vox de nube auditur; dicens: *Hic est Filius meus, in quo mihi complacitum est, hunc audite*, Matth. 17. vers. 6. Nimirum illud idem, quod Deus multis annis antè in hoc Mosaico vaticinio mandàrat, ut hic Doctor audiretur, sic iterum in monte Thabor repetit verbis ex hac Prophetia mutuatis & resumtis. Hoc pacto Christus vocatus, ordinatus, institutusque concionator & Doctor à DEO patre immediatè creatus, implevit omnes Prophetias, quæ de hoc suo munere docendi ante fuerant editæ. Vt Psalm. 22. vers. 23. Esaiæ 11. vers. 4. Tractavit autem hoc suum officium non perfunctoriè, sed divinâ planè industriâ & cum stupore auditorum. Matth. 4. vers. 28.

Erat

Erat enim potens in opere & sermone, Luc. 24. Et peragravit docendo Judæam universam & multos filios in gloriam adduxit, Heb. 2. v. 10. Et licet nunc quidem formâ visibili non circumambulet in mundo, docet tamen, dando nobis adhuc hodie legatos suos, quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, quosdam Euangelistas, quosdam Pastores & Doctores, Ephes. 4. v. 11. Et docet quoque efficaciter operando et sanctificando omnes in verbo & Sacramentis, ambulans inter candelabra Apoc. 1. v. 13.

III.

Ex occasione huius Prophetiæ apparet, qualisnam Christus futurus sit doctor generi humano, quodnam doctrinæ genus sit secum allaturus. Non potest hic doctor esse legalis nec genus doctrinæ ipsius legale, sed tale, quo se medium inter Deum & homines sistere posset. Petebat enim populus suave Dei alloquium, quod quamdiu Deus legem sonat, impetrari nullo modo potest. Doctrina igitur huius doctoris talis esse debet & futura est, qua cum Deo populus mitius aget, & per quâ Deus cum populo quoque mitius aget. Quæ doctrina nulla alia est, quàm doctrina Evangelij. Evangelicus igitur Propheta & Doctor, ut desiderabatur à populo, ita quoque tum temporis illi promittebatur, & cum hoc vatici-

vaticinium mpleretur, reipsa in Christo donabatur. Christus enim affert secum doctrinam suavem & lætificantem, ipse suavis & corda hominũ lætificans, quæ huius doctrinæ ratio & qualitas prædicta est multoties apud Esaiã cap. 35. v. 3. & c. 42. v. 2. & 4. ubi dcitur: *Non clamabit servus meus, non erit tristis & turbulentus*: & apud eundem cap. 61. in initio pari modo prolixè prænunciatur, quod Christi doctrina in Novo Testamento futura sit Evangelica. Unde Christus quoque inter cætera suæ personæ χαρίσματα etiam hoc reddi cupit Ioanni Baptistæ Matth. 11. v. 5. Quod pauperibus Evangelium annuncietur: qua doctrinæ forma & fructu Moyses Christusq; opponuntur.

IIII.

Discimus etiam ex eadem huius Prophetiæ occasione, actum esse nobiscum penitus, si cum Deo sine mediatoris & doctrinæ Evangelicæ interventu agere debeamus aut velimus. e. g. Deus in promulgatione legis exhibebat se quisnam esset, secundum legis ideam, nempe terribilis & tremendus judex, atque talis est in æternum, quamdiu sine Mediatore, qui se inter peccatum & justitiam Dei interponat, agitur. Unde postea sequitur fuga Dei, & timor servilis, ut in exemplo populi Israel montem Sinai circumstantis, tandemq; despe-

desperatio, ut in Caini & Judæ exemplo videre est, nec potest sibi homo quicquam clementiæ de Deo, si cum illo ita absoluto agat, polliceri. Hinc illæ voces sanctorum Iob. 9. v. 2. & 3. *Si voluerit homo contendere cum Deo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Et Psal. 143. v. 2. *Domine non intres in Iudiciũ cum servo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Benè ergo nobis & in æternum benè, quod hic Propheta Evangelicus filius Dei mysterium hoc temporibus æternis tacitum & absconditum, Rom. 16. v. 26. Ex sinu æterni patris ad nos in terram detulit. Exultate igitur filiæ Sion, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem justitiæ & descendere fecit ad nos imbrem matutinum & serotinum, Ioël 2. vers. 23.

V.

Qua methodo hæc duo doctrinarum genera alterum legis, alterũ Evangelij tractanda sint in Ecclesia docet παῤῥησία Moysis hoc vaticinium ad populum edentis. Nam ex verbis ipsius Moysis constat, quod jam longè ante videlicet ante annos triginta novem, cum primum ingressi essent desertum, & adiissent montem Sinai seu Horeb, in ipsa legis promulgatione Deus hanc de Messia promissionem fecerat, & tamen subticuerat illam in decursum tot annorum, reservaratque apud se

Moy-

Moyses & nunc tandem obiturus diem suum in ultimo mortis articulo revelat eandem. Quid ita? nullam profecto aliam ob causam, quam quod non potuerit hactenus concionē hanc Evangelicam utiliter docere, lege nondum patefacta, nondum sufficienter illustrata & corroborata. Jam autem, cum legem benè docuisset, inculcasset, acuisset, tandem hanc Evangelicam promissionem subinfert. Præmittenda ergo Lex ad conterendos animos hominum supercilioſos & ferocientes: Sed cùm jam animi fracti sunt, tunc demum addenda est consolatio ex Evangelio. Sicut enim medicus præsupposita vulnera sanans, purgat illa primum, erodit & abradit putrida in vulnere, postea ligat & pharmacum subdit: ita quoque fidelis mysteriorum Dei dispensator legem præmittere, Euangelium deinde addere, si utiliter labem peccatoris curare velit, habet necessum.

VI.

Promissiio & missio huius Prophetæ Christi pertinet non tantum ad unam aliquam gentem, sed ad omnes gentes. Sicut enim in promissione legis populus Israël sustinebat & repræsentabat locum totius generis humani: ita quoque petendo & impetrando hunc Prophetam non sibi aut suis illum tantum, sed illis omnibus, quorum loco ibi

ibi erant, petebant & impetrabant. Lex enim moralis ferebatur toti generi humano, cuius pars erat populus Jsrael.. Sicut ergo minæ ita & promissiones sive illæ sunt legales sive Evangelicæ ad totum genus humanum pertinebant. Atque ideo Christus quoque dicitur *Lumen gentium*, Esa. 60. v. 3. Et Christus pro eadem sua autoritate mittebat Apostolos suos *in universum mundum, docere omnes creaturas.* Agnoscebat enim se à patre missum esse non tantum ut esset Propheta unius gentis Judaicæ, sed ut in scientia sua erudiret totum mundum. Etsi enim quamdiu in carne versabatur nobiscum, tantum se continebat inter pomeria peculii sui domus Israël: tamen id ratione primi auspicii factum est, ut intelligeretur quod salus ex Judæis sit, neque id erat obstaculo, quò minus post ascensionem suam sit doctor, perque ministros suos Euangelium prædicaret in toto mundo.

VII.

Videmus hîc indivisibilem totius Trinitatis communionem in erudiendo genere humano ad salutem. Et sanè salutaris hæc eruditio & institutio à Deo proficisci debet, sicut Ioan. 6. ver. 45. allegatur Propheta Esaias his verbis: *Et erunt omnes docti à Deo*, idq; hac ratione: Deus pater promittit se positurum esse verba in ore Christi, ut loquatur omnia, quæ

quæ præceperit ei. Itaque ut audimus pater dictat filio suo omnia verba quæ proloquitur, Filius λόγος & Orator patris profert illa ad genus humanum. Et hoc est, quod Christus toties inculcat se non loqui tantum de sua sed & de patris sententia, Ioan. 8. ver. 26. *Qui misit me verax est & omnia ego quæ audivi ab eo, loquor vobis, à me ipse non loquor.* Nec ab his personis est excluſus Spiritus sanctus. Est enim opus ad extra commune & indiviſum omnibꝰ personis. Hinc & Spiritus sanctus dicitur *Spiritus veritatis, qui à patre procedit & testimonium perhibet.* Ioan. 16. v. 26 & cap. sequenti vers. 13. *Is docebit vos omnem veritatẽ, non loquitur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Summatim ergo loquendo Deus pater dictat, filius pronunciat, Spiritus sanctus testis doctrinam confirmat & obsignat. Quæ indiviſa & admiranda trium personarum Deitatis unitas ſuſpicienda & adoranda est nobis cum timore & tremore, ut patulas tàm infinitæ & æternæ sapientiæ doctoribus porrigamus aures: tum quod hæc institutio cedat in noſtram ipſorum salutem, tum quod pæna æterna & graviſſima sequatur, si noſmet Deo doctori ſubtrahamus. Ille enim tàm certe erit ultor, quàm certo ultorem se fore est comminatus.

VIII.

Gratulemur nobis & animo tripudiemus cũ Nathanaele Ioan. 1. v. 45. quod invenimus, quem scripsit Moses in lege & Prophetis: Maximè in hac ultima mundi parte, quæ etsi effæta & multis modis calamitosa est, hac tamè beatitudine singulariter adeo affecta est, quod olim quidem superioribus sæculis mundi multifariàm multisque modis locutus sit patribus in Prophetis, novissimis tamen diebus hisce locutus sit in filio. Quod magnopere prædicandum ducit autor Epistolæ ad Ebr. initio cap. 1. Propterea adhortatur nos ibidè, cap. 2. ver. 1. ut abundantius observemus ea quæ audivimus, ne fortè præterfluat hic filii Dei sermo. Nam si sermo ille, quem Deus per homines aut angelos suos edidit, factus est firmus, & neglectus illius adeò severè punitus est: Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem & tàm excellentem salutis doctorem Dominum Iesum Christum verum Deum? Qui huic enim crediderit salvabitur, & ipse habebit vitam æternam. Qui non crediderit condemnabitur. Oremus ergò cum Davide Psalm. 24. ver. 4. *Vias tuas Domine demonstra mihi & semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua & edoce me, quia tu es DEVS salvator meus.*

QVAR-

QVARTVM VATICINIVM.

ISAAC IMMOLANDUS PASSIONEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI typo mystico exprimens Genes. 22. v. 1. & sequentibus.

Quæ postquam gesta sunt, tentavit Deus Abraham & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit: Adsum. Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum quem diligis, Isaac, &c.

ARGVMENTVM.

Historia de Isaaco, immolando prolixè in Genesi describitur, estq; in se considerata admodum παθητική, plena horroris, plena stuporis, plena immensi gaudii. Nam quod pater jubetur filium mactare, quis non horrescat? Quod rem intrepida manu aggreditur pater, quis non stupescat? Quod ex improvi-

so opus suspenditur, quis non exultet? Unde facilimè evinci potest, non esse in ullis etiam Ethnicorum libris hàc pulchriorem, mirabilioremque historiam. Sed præterquam quod hoc modo, ut diximus, jucunda est, longè adhuc jucundior, & supra omnem satietatem dulcior est, si in ea, tanquam in speculo quodam perpolito, contemplatio rei sublimioris quam designat & præfigurat, instituatur. Præfigurat autem saluberrimam passionem Domini nostri Iesu Christi, quomodo is ut alter Isaac, morti à patre æterno deputatus sit insons, quomodo ad supplicium deductus, tandemque gloriosa resurrectione è mortis faucibus ereptus sit. Hæc omnia adumbrat Historia Isaaci, eaque tàm pellucidè, ut si Typus antitypo, Antitypus typo nonnihil conferatur, insatiabiles piæ menti divina passionis dominicæ mysteria meditanti conferat pietatis fructus. Quod eò dulcius est, quò certius, siquidem ipse Spiritus sanctus in attentionem hanc nos revocat, ut dicemus.

DEMONSTRATIO.

EST hic mos Spiritui sancto (quod notum est) in sacra pagina admodum vulgaris, ut non tantum literâ & verbis, sed etiam typorum umbris & διανοίᾳ vaticinetur. Id quod etiam usu venit in præsenti historia.

Nam

Nam quod in illa typum Christi gerat Isaac, id clarissimis verbis annotat Epistola ad Heb. quæ in eo tota est, ut typorum significationes, in veteri Testamento evolvat, & rebus gestis novi Testamenti concinnè applicet. Horum ex numero est quoque Isaac immolandus: Sic enim cap. 11. v. 19. dictæ Epistolæ, postquam immolationis Isaaci mentio facta est, inter cætera extat: ὅθεν αὐτὸν ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο, *unde & eum in parabolam accepit.* Quod Lutherus eleganter, Daher er auch jhn zum Fürbilde wieder nam. Est enim παραβολὴ nihil aliud, quam ænigmatica, allegorica vel mystica quædam comparatio & collatio typi ad Antitypum, umbræ ad rem adumbratam, rei significantis ad significatum. Testatur igitur hisce verbis Spiritus sanctus Abrahamum recepisse filium suum etiam hoc nomine, ut in filio hoc suo, tanquam in typo spirituali agnosceret Antitypum Messiam, eiusq; passionem, mortem & lætam resurrectionem ex mortuis. Quod si ergò hunc typum sic Deus Abrahamo præstituit, quid non magis nobis, qui in tempus novi Testamenti reservati sumus? ubi omnia oculari & intuitiva noticia licet æstimare & apprehendere plenius. Et hoc primum argumentum est.

Deinde aliter quoque idipsum euinci potest per ἀκολουθίαν ex Paulo petitam: In Epi-

ſtola enim ad Galat. docet, quod Iſaac filius liberæ Novum Teſtamentum & novi Teſtamenti populum, & filios gratiæ præfiguret. Quod ſi ergo Iſaac Novi Teſtamenti populũ, & filios gratiæ juxta Paulum præfigurat; Et filii gratiæ tales ſunt non niſi per Chriſtum; Ergo Iſaac multò magis Chriſtum præfigurat. Propter quod enim unumquodque tale eſt, illud magis tale eſt. Hæc & ſimilia fundamenta animadverterunt quoque patres in orthodoxa antiquitate, qui ſemper religioſè hunc typum conſiderârunt, & cum Antitypo ſuo contulerunt, adeò, ut teſte Auguſtino, hunc ipſum textum de immolatione Iſaac, ordinariè & annuatim, explicandum ſuſceperint in vigiliis Paſchæ. Sic enim ait ſerm. 43. de tempore: *Lectio illa, in qua beatus Abraham Iſaac filium ſuum in holocauſtum legitur obtuliſſe, ideò in ordine ſub diebus quadrageſimæ non recitatur, quia, ſicut ipſi nôſtis, in vigiliis Paſchæ propter Sacramentum Dominicæ paßionis reſervatur.* Sic ille. Ex ſententia igitur Auguſtini, immolatio Iſaaci myſteriũ Dominicæ paſſionis continet, in qua ſententia manſerunt etiam ſemper ſequentes Eccleſiæ doctores. Hoc ergo myſterium, ut aliquanto plenius, quantumquidem per Spiritus ſancti gratiam licuerit, enodetur & evolvatur, inſtituemus hoc loco brevem collationem typi ad Antitypum. In typo

typo considerabimus illa tantum membra, quæ evidentem habent significationem Antitypi. Cætera, quæ ad integræ Historiæ explicationem tam paraphrasticè, quàm dogmaticè spectant, non attingemus pluribus; Id enim nunc instituti nostri non est, sed remittemus lectorem ad sacros interpretes, Lutherum inprimis, qui præsentem materiam ex professo plenè persequuntur. Nunc meditationem nostram ordiemur, quam dividemus in tres partes, quarum prima, Protasin: Secunda Epitasin: tertia, Catastrophen continet: Sic enim res ipsæ jubent hanc historiam secare.

PRIMÆ PARTIS PARAPHRASIS.

Quæ postquam gesta sunt] Multis sanè modis Deus antehac Patriarcham tentârat: Evocârat ex Patria: exulem totos 80. annos fecerat: fratris metu ejecerat in Ægyptum: bis venerat in periculum belli propter Lothũ: sustinuerat multos annos ignominiam sterilitatis in uxore: & nullis non aliis infinitis calamitatibus fuerat exagitatus Abrahamus: Nullus tamen casus tam inciderat adversus, quam est præsens, videlicet, quod Deus ipse novo adoritur Abrahamum tentandi modo: Promulgat enim mandatum ad Patriarcham

inauditum antehac & admirandum, quod, quàm erat brevè, tàm videri poterat non tantũ difficilè esse, sed planè impossibile, adeo ut Deus ipse, non lapides, sed acutos gladios videretur loqui, sic enim ait: *Tolle filium tuum unigenitum quem diligis Isaac.* Fuisset sanè plus quam satis, filii mortem fato illatam intueri parentem: nunc vero parens ipse jubetur occidere filium. Fuisset & hoc satis inter multos liberos unum amittere: sed hic unicus erat. Fuisset & hoc plus quàm satis, filium perdere, si juvenilis parentum ætas feciſſet spem uberioris fæcunditatis. Ferendum & hoc fuisset, si filius morti tradendus degener fuisset & exosus, ut Ismael. Id vero plus, quàm satis, imò plus nimio erat occidere filium, non per aliũ, sed propria manu paterna, non occidere tantùm, sed in frusta secare, non secare tantum, sed flammis dare, comburere & in cineres vertere juxta holocausti ritum: & quidé filium illum, qui unigenitus erat, qui sterili matre, jamque senectutis causa effæta, & à patre centenario viceno prognatus erat: qui matris pupilla, patris oculus erat: cui annexa erat promissio benedictionis de Messia venturo: qui matri risum, patri gaudium creârat, ex quo nomen Isaaci acceperat. Ille ipse filius patri mactandus est gladio, comburendus igni, dictu horrendum: Abrahamo igitur

his

his verbis adimitur potestas vitæ in filium, conceditur, imo datur potestas necis in filium insontem, constituiturq; his verbis pater carnifex filii sui. Quid Abraham pater? de nocte consurgens expedit mandatum Dei, dicto citius, adeo ut ne quidem uxori, nedum uni inter trecentos octodecim servos negotium hoc concredat. Sternit igitur suis propriis manibus asinum, conscidit ligna in holocaustum, & ex tanto servorum numero duos tantùm juvenes cum asino & Filio immolando exhibet, tandemque cum hoc perexiguo comitatu iter ingreditur, petitque locum, quem monstraturus erat IEHOVAH.

Loci Communes.

I.

HÆc omnia revocant mentem nostram ad sublimem meditationem summi amoris æterni patris, quo complexus est totum genus humanum. Æternus Deus habuit ab æterno filium, non filios; unigenitum, non multos: natum, non creatum: natum ex propria substantia, Deum de Deo, lumen de lumine, filium sibi dilectum, in quo complacuit animæ æterni patris, Filium, qui fuit in sinu patris ab æterno. Cum vero totum genus humanũ lapsum esset in extremam damnationé, nec ullo alio modo, quam morte filii

Dei restitui posset, age, *æternus pater sic, sic di-lexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*, Ioan. 3. v. 16. *Et ne quidem pepercit filio, sed pro omnibus nobis tradidit illum*, Roman. 8. vers. 32. Sicut ergo Isaac ex substantia patris sui genitus est in tempore: Ita & Christus natus est ex Dei patris substantia, sed ab æterno. Et sicut Isaac unigenitus dicitur: Ita Christus patri æterno longè dilectissimus. Tandemque sicut hic unigenitus dilectusque Isaac à patre morti traditur insons: ita hic unigenitus & dilectus IESVS CHRISTVS à patre morti insons traditur.

II.

Sicut Abraham non potuisset statuere sententiam mortis in filium insontem, nisi Deus sententiam tulisset: Ita Judæi nullo modo vim necemq; inferre potuissent IESV CHRISTO filio DEI, nisi DEVS pater sententiam damnationis in filium, sponte peccata totius mundi suscipientem, promulgasset. Sic enim Christus ipse, cum Pilatus merum & mixtum imperium sibi in Christum arroganter asscribere vellet, ait Ioan. 19. v. 11. *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Et Act. 2. v. 23. dicitur, *Hunc definito consilio ex præscientia Dei traditum per manus iniquorum.* Deflectamus ergò oculos à causis secundis, & defigamus in fontem omnium causarum

passio-

passionis Dominicæ, quæ est expiatio peccatorum, quam filius Dei in se recepit. Quapropter jam sacrosancta Trinitas mortem filii Dei decrevit. Unde summum directorem totius huius operis recte animo concipiamus, & certo statuamus, nihil factum in passione Christi, nisi quæ manus & consilium Dei decreverunt fieri. Non sanè, quasi hoc modo excusabiles sint Judæi, qui in hunc scopum nunquam animum defixerunt, sed ut mentem nostram salutari consolatione erigamus, satis factú jam esse voluntati & decreto Sacrosanctæ Trinitatis, pro peccatis tam nostris, quàm totiꝰ generis humani, ut si aliud quid insuper necessariú fuisset, etiam id tremenda Trinitas in mediatoré statuisset, & fuisset executa.

III.

Isaaci nomen valdè est illustre & typicum. Cum enim parentibus ipsius prima promissio de hac sobole fuisset facta, peperit tam matri quã patri risum, sed non uno modo: matri risum incredulitatis culpabilem Gen. 18. v. 14. Patri risum gaudii inculpatú, Ge. 17. v. 17. Ita concio de Christo filio Dei & hominis crucifixo & passo fuit quoq; accepta in terris. Infidelibꝰ n. Christus crucifixꝰ scandalo & risui: Fidelibus a. summo & æterno est gaudio. Nã omnibus qui vera fide & pœnitentia hunc secundum Isaacum Christum Iesum accipiunt, illis

illis æternum accenditur gaudium & risus in cœlestibus: Qui verò Christum eiusq; bona suspenso deridենt naso, *illos, qui in cœlis habitat, irridebit, & Dominus subsannabit eos, loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos*, Psal. 2. ver. 4. & 5. Metuamus ergo hunc furorem Dei, & lætissimo dulciq; suavio filium hunc, nostri causa natum, crucifixum, passum exosculemur.

IIII.

Sicut Abraham accepto mandato divino, nihil prius habet, quam ut immolationem hanc summo mane aggrediatur & expediat; ita Judæi, postquam indultu permissionis, laxatæ illis fuerunt habenæ, ad immolandum Christum, & persequendum livoris sui affectum, quem contra Christum fovebant? nihilque prius, nihil posterius habebant, quàm, ut Christus è medio auferretur; Itaq; tempore imminentis passionis Christi, non tantũ multas vigilias trahebant insomnes, in conferendis consiliis, de Christo extirpando, sed & in ipso passionis articulo à media nocte, irruebant in Christum, qui extra urbem in horto orabat. Neque tenebræ erant tam densæ, ut ab instituto amoverentur sævientes Judæi, adeò, ut Christus illis fuerit *cerva matutina*, ut habet inscriptio Psalm. 22. De summo enim mane agitabatur Christus à canibus festinantibus

tibus in die Paraſceves, ut quàm citiſſimè crucifigeretur, ſicut idem Pſalmus habet: *Circumdederunt me canes multi*: Verum & Chriſtus ipſe veluti cerva cum Abrahamo & Iſaaco manè quoq; ſurrexit, & expedivit celeri curſu voluntatem patris ſui, id quod pluribus hiſtoria Euangelica paſſionis Chriſti teſtatur.

V.

Deniq; nec hoc prætereundum eſt, quod Abraham non communicat conſilium cum muliere Sara: Gerit autem mulier typum rationis humanæ juxta Pauli ſententiam: *Mulier taceat in Eccleſia*, 1. Tim. 2. v. 12. Sic vulgariter à patribus acceptum. Sicut ergò Abraham non inivit conſilium cum muliere, ne abriperetur in devium dubitationis humanæ: Ita in concione paſſionis Dominicæ, quæ ſupra omnem Philoſophiæ humanæ captum eſt, non oportet nos rationem inire cum homine animali, ſicut Paulus nos ſuo docet exemplo, qui Galat. 1. verſ. 16. ait: *ſe non acquieviſſe carni & ſanguini*, h. e. non conſuluiſſe carnem & ſanguinem, non iniiſſe conſilium cum carne & ſanguine, aliud ſuadente, non recepiſſe humanæ rationis nutum & conſilium carnale. Quoties igitur caro & ſanguis nobis abſurditatem humanam vult obſtrepere, & ſicut Paulus loquitur, altitudinem ſuam extollere

lere adversus scientiam Dei, toties nos in captivitatem redigamus omnem intellectum in obsequium Christi. 2. Cor. 10. v. 5.

SECVNDÆ PARTIS PARAPHRASIS.

Die autem tertio] Etsi DEVS initio nominasset Regionem, Morijam videlicet, in qua immolandus erat Isaac, tamen nondum exactè ipsum montem locumq; designârat. Cogitur ergò Abraham non tantum peregrè ire in regionem dictam, sed & revelationè à Deo expectare, in quonam loco Isaac immolandus esset. Cum ergò jam triduanum iter confecisset, elevat oculos suos, & in spiritu conspicit, cognoscitque locum procul, quem Deus immolationi Isaaci deputârat. Ergò cum radices montis Morija attigisset, relinquit pueros suos cum asino sub monte. Et quia hucusque asinus bajulator, ligna sacrificio peragendo apposita gestasset, pueri verò ignem & cultrum; Itaq; relictis jam sub monte famulis, pater ipse Isaaco struem lignorum gestandorum imponit, ipse verò ignem & gladium accipit: Sic uterq; ascendunt montem passibus admodum tremulis & luctuosis: Isaac sub lignorum, Abraham sub curarum pondere gemunt. Inter eundum autem Isaac blanda voce compellat parentem: *Pater mi.* Ille, *quid*

vis

vis fili? Obſerva magnum ἦθος καὶ πάθος, quo pectus paternum intus graviter concuſſum eſſe, dictu facile non eſt, cogitatu difficilimũ. Quærit autem Iſaac ex patre, ubinam ſit holocauſti victima, igne & ligno paratis? Clam filio enim habuerat hactenus Abraham, quidnam animo volueret. Ideo *ſpem vultu ſimulans premit altũ corde dolorem*, & inquit, *Dominus providebit ſibi victimam holocauſti*. Vox triſtis, ſed conſolationis plena, qua tàm ſuum, quam filii animum reddidit tranquillum: Donec tandem attingunt locum ſacrificij, in quo Abraham ædificat aram, tumultuaria, procul dubio, ut fieri potuit, opera, congeſtam ex lapidibus inſectis, ceſpitum & terræ aggeribus, & altari imponit ligna: Tandem ipſum Iſaacum adoritur & ligandum ſuſcipit.

Sed hic quæri ſolet, quomodo Iſaacum ligârit, volentem ne, an reluctantem? Cui reſpondeo. Non reluctantem. Nam quod ligârit non reluctantem, hinc mihi perſuadeo. Iſaac tunc temporis erat ætatis juvenilis, viginti quinque ſecundum Ioſephum, aut ſecundum alios plus minus viginti annorum: Pater decrepitus ſenex 120. annorum. Quis jam hic credat in tam diſpari luctu, ſi luctandum fuiſſet, vincere ſenem potuiſſe, vel vi roboris, vel pedum celeritate? Deinde quis auſit ſacrificium hoc tam fæda inobedientiæ alicu-

alicuius suspicione contaminare, cum tamen Deus vel maximè obedientiam in beneplacitis sibi sacrificiis respiciat ? Neque talis luctus geri potuisset sine violentia, sine jurgiis, sine ira & incandescentia, fortasse etiam non sine plagis : Et quæ tunc esset utriusque devotio ? Volentem ergo ligavit & persuasorie, quod etiam hinc porrò liquet. Certa & communis Theologorum sententia est ex cap. 13. Gen. ver. 14. & infinitis aliis scripturæ monumentis petita, hunc ritum à patribus fuisse observatum, circa sacrificia, ut illa non ἀφύλακτως & mussitanter, sed præmissa concione & prædicatione verbi ritè peragerent, ut admoneretur populus de voluntate Dei, de verò Dei cultu, de usu, significatione & efficacia sacrificiorum &c. Verisimile igitur est, Abrahamum constructo jam altari & instructis lignis cæpisse concionem habere ad suum Isaacum, de mandato Dei & voluntate ipsius, qui vellet filium à se immolari. Quid Isaac ? Ille parenti facilè dat fidem : primo motus reverentiâ erga parentem, cui pro indole innata, & per accuratam educationem implantata pietate morem gessit. Deinde, non tantum Abrahamum agnovit patrem esse, sed & virú Dei, & Prophetam, cui multiplices hactenus revelationes apparuisse, & colloquia cum Deo interveniisse, nullo modo potuit ignorare.

rare. Ergò revelanti & prophetanti visionem divinitus factam, non potuit non fidem habere. Prophetica igitur autoritate perculsus, & intus Spiritus sancti motu per verbum inflammatus, facilè voluntatem divinam agnoscit Isaac. Volens igitur & ultrò dat manus & pedes ligandos, nulla alia de causa, quàm ut ritus sacrificiis debitus per omnia servaretur. Ligatum filium pater rogò imponit, ut oculis supinis cœlum intueretur, & gulam expositam cultrò haberet, haud secus uti vitulus aut oviculæ, quæ cultro mactandæ sunt. Exposito morti collo, pater cultrum arripit, extendit manum, jamjam gulam transfixur⁹. Sic habet historia; Sed nos ad antitypi considerationem mysticam nunc redeamus.

Loci Commvnes.

I.

Discimus ergò primùm locum accuratè notare, in quo tam immolatio Isaaci, quam Christi facta est. Sicut enim Isaac non ubivis locorũ immolari debebat, ita nec Christus quocunq; loco mori: Sed prout destinato loco Messias nascebatur secundum scripturam, ita quoque certo & destinato loco moriebatur secundum scripturam. Et in hoc ipso loco, quo Isaac immolandus erat, ædificat postea Salomon templum Hierosoly-

mitanum 2. Par. 3. v. 1. quo ſpiritualiter humanam Chriſti naturam ſignificari teſtis eſt Joannes cap. 2. v. 21. Dum igitur Chriſtus in terra Morija moritur, admoneamur de ſalutari paſſionis Dominicæ uſu. Eſt enim mors Chriſti verè *Morija*, hoc eſt, *Myrrha mea Dominus*. Sic enim vocabulum hoc explicant, Nam ut Ambroſius in Pſalmum 118. ait: *Per myrrham paſſionis Domini unguentum & reſurrectionis gratia declaratur, quæ redivivum vitæ odorem ſuſcitatis mortuorum viſceribus infundit.* Alii Morija interpretantur cultum, & reverentiam DEI. Alii doctrinam, quia mors & paſſio Chriſti ſummus Dei cultus & ſuprema noſtra eruditio eſt & doctrina.

II.

Deinde etiam hoc peculiarem ſignificationem habet, quod Abraham Aſinum ſuum ad montis pedes relinquit exoneratum. Nam per onuſtum Aſinum Judaicam gentem intelligi, qui intolerabili jugo legum Judaicarum gravati erant, Act. 15. v. 10. eſt in propatulo. Sicut igitur Iſaaco montem aſcendente onere ſuo leuatur Aſinus: Ita Chriſto tranſeunte in mortem populus Judaicus & nos omnes liberati ſumus ab oneroſæ legis jugo, ut non amplius ſimus ſub lege, ſed ſub gratia. Prius enim quam veniret fides ſub lege cuſtodiebamur concluſi, Gal. 3. v. 23. Et ſicut ſub mont-

ſube

subsistebant pueri cum Asino, ita usque ad aduentum Christi lex & Prophetæ prophetabant, & ibi quasi subsistebant.

III.

Tertiò & hoc pulchrè quadrat in Christum, quod Isaac ipse ligna gestat. Et probè obseruandum est, patrem ipsum Isaaco ligna imponere: simili enim modo pater cœlestis lignum crucis, & cùm crucis ligno totius generis humani peccata conjecit in filium suum Esa. 53. v. 6. *Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostram.* Et ut Isaac contra in se tollit ligna, ita Christus in se crucem peccatis hominum gravatam tollit juxta eundé Prophetam ejusdem loci, v. 4. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Vt & Baptista ait: *Hic est agnus DEI, qui tollit peccata mundi*, cap. 1. v. 29. Gravitas autem ligni quod Isaac gestat, longo distat intervallo à pondere sitate crucis Christi. Nam etsi lignum Isaaci nō potuit esse leve, eò quòd tantum acervum tulisse necesse est, quo integer homo comburi pro ratione holocausti posset: tamen lignum crucis Christi longè erat gravius, non tantum ob molis magnitudinem, sed ob peccatorum molem intolerabilem. Quid enim gravius esse potest, quam moles peccatorum totius generis humani? Expiavit itaque Christus gestando lignum crucis omnem culpam

& pœnam, quam in nos primi parentes per lignum arboris vetitæ derivarunt, ut lignum crucis Christi factum sit nobis lignum vitæ. Cui si firma fide adhæserimus, facilè nos quoque partem crucis nobis à DEO impositæ tolerabimus, & vestigiis Isaaci insistentes, Christum subsequemur, juxta Regulam Matth. 16. v. 24. *Qui vult me sequi, tollat crucem suam, & sequatur me.* Nam hic non sufficit obvertere: Christus tulit crucem: Ergo ego planè à cruce sum liber. Etsi enim quo ad λύτρωσιν nos crucem gestare non opus sit, tamen quo ad παράδειγμα, aut ut etiam Paulus vult propter συμμορφίαν, Rom. 8. v. 29. crux nobis est toleranda.

IV.

Sicut Isaac relictis post se pueris solus sequitur comitaturque patrem, ita filius DEI relictis post se procul Apostolis *solus calcavit torcular*, Esa. 63. v. 3. Multò enim tardiores & somnolentiores erant Apostoli, quam ut hujus tam ardui quasi montis præcipitium adire, nedum superare potuissent. Servi Abraham sub monte stertunt, & in utramque dormitant aurem, ignari calamitatis, in qua hærebat Isaac: Ita quoque Apostoli Christi in horto securè dormitabant, & orare jussi lethargo occupantur, ignari prorsus in quanto agone esset filius DEI.

Quia

V.

Quia oratio colloquium cum DEO est, ideò soliloquium, quod Isaac cum Abrahamo habet, repræsentat ardentissimas preces filij DEI ad patrem suum in horto: *Pater, si vis transeat à me calix iste.* Vt enim Isaac anxius est, de victima aliunde acquirenda, ita filius DEI sentit gravissimos angores in pectore suo, quanquidem nō ignorabat, ut Isaac, sed probè sciebat, se ipsum futurum esse victimam pro peccatis totius generis humani, atque ut vox Abrahami respondentis, *Dominus providebit*, consolabatur & erigebat Isaacum: Ita angelus Domini mittitur consolari & erigere animum JESU CHRISTI luctantis.

VI.

Voluntas & obedientia Isaaci, qua mortem subit, docet de voluntate & obedientia filii DEI in passione. Neque enim Christus invitus passus est, sed vt Esaias inquit cap. 53. v. 7. *oblatus est, quia ipse voluit, propterea etiam non aperuit os suum, sed obmutuit quasi agnus coram tondente.* Et cap. 50. v. 5. de seipso loquitur Messias. *Ego non contradico & retrorsum non abii. Venit enim facere voluntatem Patris sui.* Psalm 40. v. 9. Nam sicut homo voluntate libera peccârat: Ita quoque mediator voluntate liberrima, & spiritu spontaneo motus expiavit peccata nostra, quæ sunt contra voluntatē æterni

patris commissa. Si enim nolens fuisset immolatus Christus, non satisfactum fuisset voluntati æterni patris. Quia ergo nos retrorsum ivimus, Christus retrorsum non ivit; quia nos volenter peccavimus, Christus volenter passus est; quia nos inobedientes DEO, ideo Christus *factus patri summè obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis*, Phil. 2. v. 8.

VII.

Isaac etiam non repugnans patri, pati tamen coactus est vincula, ita & Christus vincula pati coactus est, sed Isaac sibi tantum vincula sustinuit, Christus nobis. Hisce enim suis laqueis quos sustinuit nostri causa, liberavit nos à laqueis Diaboli, quibus nos captivos tenuit ad suam voluntatem. 2. Tim. 2. v. 26. Et eo ipso, quia Christus ligatus est, ligati sunt & captivati simul omnes Diaboli, catenis inferni, ubi in judicium reservantur 2. Pet. 2. v. 4. Nos vero emancipati & soluti compedibus infernalibus, non timemus amplius rigorem illius sententiæ, quæ nobis omnibus exæquo fuisset expectanda, de qua Christus Matt. 22. v. 13. *ligatis manibus ac pedibus, mittite eum in tenebras exteriores*, Christus enim nostro loco ligatus est: Unde cum Ecclesia læto animo canimus:

Ligatus es, ut solveres,
Mundi ruentis complices,

Per

Per probra tergens crimina,
Quæ mundus auxit plurima.

VIII.

Ut Isaac sub acie novaculæ constitutus fuit; ita Christus sub acie percutientis gladii bilingvis sustinuit aciem justiciæ divinæ, & sensit flammas ardentis furoris DEI contra peccata. Nam gladius Abrahami justiciam Dei: ignis, iram ardentem furoris divini, denotat. Hæc duo enim, justicia & ira DEI fuerunt contra Christum gladius & ignis, quo DEUS pater secabat, urebat. Quæ quia sustinuit Christus, satisfecit jam justiciæ DEI, & extinxit flammas iræ divinæ contra nos, ut DEUS jam non sit nobis ignis consumens. Deut. 4. v. 24. sed dulcis flammula infiniti amoris, quo diligit nos omnes, qui in Christo sumus.

TERTIÆ PARTIS PARAPHRASIS.

Tertia & ultima pars continet lætissimam catastrophen totius historiæ, quam illustrat apparitio cælestis angeli, qui duplici colloquio hunc actum reddit celebriorem. In primo colloquio ἀπὸ μηχανῆς ex improviso inclamat Angelus Abrahamum & severe interdicit, ne Isaacum filium suum occidat. Ponit itaque metam tentationi, & jubet hic manum &

gladium patris acquiescere; Atque ne frustra tamen hactenus intentio in sacrificium collata esset, ostendit angelus Patriarchæ arietem, quem loco filii mactare jubebatur, cujus interventu jam Isaac ipse non fit victima, sed victimator (ut sic loquar) mactator & consacerdos, qui una cùm patre suo victimam hanc in gratum DEO offert holocaustũ. Quod nuncium non tantum erat angelicum, sed verè euangelicum, & parentem filiumque magno cultus divini ardore inexequendo hoc sacrificio accendebat. Inde propter auxilium divinum, isto admodum oportuno tempore allatum, appellabat locum: *Dominus videbitur.* Quod postea abiit in proverbium, ut in quavis re ancipiti, & periculosa, dicerent; *In monte Dominus videbit*, vel *Dominus videbitur.* Atque hæc in primo colloquio cum Angelo. Postea exactis quoque hisce ceremoniis, denuo infit Angelus, qui fuit ipse filius DEI verus DEUS teste Epistola ad Hebr. cap. 6. v. 13. Is porrò concionatur, de multis magnisque præmiis benedictionum, quibus ut summus JEHOVAH Abrahamum & posteritatem ipsius esset affecturus, quas promissiones etiam infallibili juramento interposito confirmabat. Sunt autem istius benedictionis genera duplicia: Primum genus continet temporalia bona, amplitudinem posteritatis immensam, famam nominis,

minis, victoriam, & secundos progressus contra omnes hostes. Alterum genus benedictionis mere spirituale est, in qua repetit promissionem multoties factam de benédicto semine, in quo benedicentur omnes gentes. De qua benedictione alias luculenter diximus. Hæc igitur est illa optatissima & inexspectata cataſtrophe, lætissimusque exitus huius historiæ, quæ quid nobis in typo vaticinetur de Christo, paulò post subjiciemus, ubi prius hanc quæstionem, quæ in hac tertia parte nobis subnascitur, expediverimus. Quæritur enim quomodo Isaac rectè dici possit, quod typus sit Christi, cum tamen Christus verè occisus sit, Isaac autem non sit occisus? Siquidem in maxima parte est discrepantia, videtur admodum inepte fieri collationem Isaaci & Christi. Sed nos respondemus per inversionem: Si Isaac verè occisus fuisset, non esset congruus typus Christi. Id enim est contra Naturam veteris Testamenti, in quo absolutè nullus homo ex voluntate Dei debebat in sacrificium Deo offerri: sed hoc privilegium reservabatur soli Novo Testamento, in quo unus tantum homo JESUS CHRISTUS occidi & immolari debebat. Nam si unus pro omnib⁹ mortuus est, Ergo omnes mortui sunt inquit Paulus 2. Cor. 5. v. 16. Ergo subsequebatur quoque immolandum Isaacum immo-

latio arietis. Atque ita fit pulchra commutatio, pro natura utriusque Testamenti. In veteri fœdere debebant immolari bruta, & non homo: In novo debebat immolari homo & non brutum. Fit igitur Isaac non immolatus typus immolati Christi, & aries immolatus typus immolandi Christi. Deinde sic quoque respondet & quadrat analogia typi ad Antitypum: Vetus Testamentū ratione temporis instantis respiciebat Christum cum novo fœdere, non in præsenti aut præterito, sed in futuro. Si autem Isaac immolatus fuisset, respexisset Christum in præterito. Ergo Isaac immolandus & non immolatus ratione temporis poterat esse typus Christi immolandi & nondum immolati. Vnde jam patet adhuc analogia typi ad Antitypum, & soluta est quæstio.

LOCI COMMVNES.

I.

QUod angelus ex mandato divino inspicit & observat singulos totius actionis Abrahami articulos, quodque tandem præfinit atque præscribit metam, quousque DEVS Abrahamum progredi, & ubi tandem subsistere vellet: Id nobis eleganter depingit providentiam divinam, qua æternus pater moderatus est totum actum passionis sui filii,

quam

quam certis cancellis & metis incluſit, ne, quousque vellent, Judæi, ſed quousq; DEVS vellet, progrederentur. Ergo continebatur Abraham voce angelica, ne gulam filii, quam intentabat, feriret, ne confringeret, ne diffinderet, ne tandem igne conuerteret in pulverem: Ita pari modo cohibebat DEVS manus & conſilia Judæorum, ne, quod quidem vellent, confringerent oſſa filii Dei, juxta illud Joan. 19. v. 36. *Os non frangetis ei.* Item ne corpus Chriſti redigeretur in nihilum, aut in puluerem, juxta vaticinium Davidis Pſal. 16. v. 10. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Sicut Chriſtus quoque concionabatur ipſi Pilato de providentia divina, quando dicebat, *non haberes poteſtatem in me, niſi facta tibi fuiſſet deſuper*, quaſi diceret: Quousque Deus pater è ſupernis te & alios paſſus fuerit progredi, eo usq; pertinges: quamprimum autem attigeris limites hujus ſuæ permiſſionis, figetur tibi terminus, & jubeberis in illo acquieſcere. Ita enim ſentiamus, æternum patrem de cœlis tacitè incuſſiſſe motum animis hoſtium Chriſti, & acclamâſſe quaſi hæc verba: Non extendatis ampliꝰ manus veſtras ſupra filium meum, neque faciatis illi quicquam.

II.

Aries pro natura Veteris Teſtamenti mactatus, inventus autè inter ſpinas, etiam deſignat Chri-

Christum in corona spinea, sicut hunc typum evolvit Augustinus & Hieronymus. Cogebatur enim etiam Christus spinas sustinere, quæ Christi capiti impressæ inhærebant. Spinæ enim sunt peccati pœna, ut legitur Gen. 3. v. 18. Sicut ergo Christus, victima pro peccatis, peccati culpam; ita & peccati pœnam sustinebat, ut videlicet nos certi essemus, quod per hanc victimam liberati simus tàm à culpa, quam pœna peccati. Quoties ergò ex cordibus nostris spinosis, non uvas aut ficus h. e. non salutares fructus operum semper subnasci senserimus, hac consolatione erigamur: Deum respecturum esse filium suum inter spinas pro nobis hærentem, qui spinosos hosce fructus, h. e. peccata totius generis humani expiavit.

III.

Sicut Isaac pro diverso respectu temporis & est victima & postea fit victimator, seu sacrificator coadministrans immolationem arietis: Ita Christus diverso respectu dicitur in Sacra scriptura & sacerdos noster & victima: nam obtulit semetipsum pro nobis. *Est enim Pontifex non per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta.* Heb. 9. v. 12. Atque hac nova ratione, qua & victima & sacerdos est Christus, fit finis veterum victimarum, *& manet solus sacerdos*

dos in æternum, uti Psal. 110. v. 4. dicitur: Et latiùs explicat Epistola ad Hebræos.

IV.

Sicut Isaac in oculis patris sui totus mortuus & planè sepultus reviviscit tandem: Ita filius Dei dominus noster Jesus Christus, qui verè mortuus & sepultus erat, quique toti mundo planè videbatur extinctus, reviviscebat & resurgebat tandem potenter. Et quemadmodum Abrahamus, hac unica spe fulciebatur, quod à mortuis suscitare potens esset Deus. Hebr. 11. v. 19. Ita Ecclesia Dei pusilla tum temporis & inops, fide, quamvis admodum languida, sperabat & credebat Deum resuscitaturum esse filium suũ ex mortuis, quod & factum est. Unde quoque tandem Apostoli, sicut Abraham filium suum, ita redivivum Jesum receperunt cum omnibus credentibus in fidei suæ testimonium.

V.

Ultimò sicut exantlato opere immolationis Isaaci Angelo de futuro Messia cæpit concionari: Ita quoque hac in parte respondebat euentus in Christo, postquam absolvisset opus suæ oblationis. Nam post ascensionem suam emisit præcones seu angelos euangelicos *Christus, puta Apostolos, quos jubebat ire in totum mundum & prædicare omni creaturæ. Nihil autem aliud prædicabant, quàm ut*

repe-

repeterent & inculcarent concionem angeli hujus de benedicto semine, jam non exhibendo sed exhibito. Summa enim totius Euangelii est, quod hoc semen benedictum sit Christus exhibitus, in hunc finem, ut omnem in se maledictionem legis, peccati & inferni derivaret, fieretque pro nobis maledictum, Galat. 3. v. 13. quo omnis plenitudo benedictionis cœlestis veniret ad omnes Gentes per fidem. Atque ita concio Apostolica, quæ subsecuta est immolationem Christi, verè eadem est cum ista concione, quam Angelus in loco sacrificii Isaaci habuit. Cum igitur non tantum in hac parte, respondeat typus antitypo, sed nos quoque eandem adhuc hodie audiamus concionem de Christo, ideo nos etiam per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi Act. 15. ver. 11. Tantum de collatione typica Isaaci ad Christum, verum Antitypum omnium sacrificiorum veteris Testamenti, dixisse sufficiat.

QVIN-

QUINTUM VATICINIUM.

SERPENS ÆNEUS; QUO DENOTATUR SALVATOR ET DOMINUS NOSTER IESUS CHRISTUS.

TEXTUS NUMER. 21. vers. 6.

Quamobrem misit Dominus in populum ignitos Serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum & te: Ora ut tollat à nobis Serpentes. Oravit Moyses pro populo, & locutus est Dominus ad eum: Fac Serpentem æneum, & pone eum pro signo. Quem cum percussi aspicerent, sanabantur.

ARGU-

ARGVMENTVM prophetiæ.

HAbemus in his verbis pulcherrimam historiam de Erectione ænei Serpentis in deserto. In cujus littera tamen nudè subsistendum non est: Sed altius rimandus est intellectus illius salutaris; videlicet quod simul sit typus propheticus, aut prophetia typica, vaticinans de passione & morte Domini nostri Jesu Christi: Et quidem de genere mortis, quàm in his terris, pro redemptione totius generis humani, sustinere debebat MESSIAS. Sicut enim Serpens æneus pertica erigebatur in altum sub dio: Ita notat filium hominis erigendum pertica crucis sub dio in aëra. Deinde agitur hic de fructibus & efficacia illius sacrosanctæ mortis, tandemque de applicatione fructuũ illorum: Videlicet, sicut omnes intuentes hunc serpentem æneum salvabantur corpore: sic omnes homines intuentes mediatorem Dominum nostrum Jesum Christum fide liberari à morte, pœna & maledictione æterna. Qui ergo recte intelligere hanc prophetiam historicam, & salutarem inde sensum elicere cupit, sic membra illius tractabit, ut omnia illa in Christo tanquam hujus typi ἀντιτύπῳ ἀναλογικῶς correspondenter imple-

impleta esse consideret, quo faciet maximè, si hæc omnia quæ hic dicuntur in textu ad tria retulerimus capita.

I. Considerentur vulnera, morbi, & morsus serpentini; quibus respondent nostrorum peccatorum vulnera.

II. Antidoton & Emplastrum salutare, quod in typo est serpens æneus, in antitypo Christus.

III. Consideretur modus applicationis, qui in historia est oculus corporis, in antitypo oculus fidei: Et manifestum erit omnia accommodatissimè convenire, atque ita illustrissimè prædici de Christo.

DEMOSTRATIO ARGUMENTI.

DUo esse vaticiniorum genera facilè largietur is, qui in lectione Biblica vel leviter versatus est; videlicet spiritum Sanctum in veteri Testamento vaticinatũ esse de Christo, vel apertis prædictionibus & promissionibus, vel in typis, figuris & umbris, ut ejus rei luculentus testis inter cætera est Epistola ad Hebræos. Posterioris generis est hæc historia quam in manibus habemus, quamque ob id Prophetiam typicam de Christo paulò ante *indigitavimus*. *Sicut interpres* omni exceptione *major* nobis est Dominus noster Je-

sus Christ⁹, Jo. 3. v. 14. cùm inquit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat; sed habeat vitam æternam.* In quibus verbis Christi dilucide aperitur verus antitypus hujus typi, quod is præsignet & præfiguret nobis tàm mortem quàm mortis speciem veri MESSIÆ passi pro genere humano, quod ipsum alibi dilucidè prædixerunt prophetæ, quibus si conferatur hic typus, omnia erunt certa & evidentia: Quid enim aliud hic dicitur & docetur, quàm quod Psalmista vaticinatus est, Psalm 22. ver. 7. *Ego sum vermis & non homo,* & v. 18. *Foderunt manus meas & pedes meos,* Et quod Esaias cap. 53. ait vers. 6. *Livore eius sanati sumus, &c.* Qui harmonic⁹ sacræ scripturæ consensus fidem nostram contra occæcatos Judæos firmiorem reddere potest. Sunt & alii hujus historiæ usus, ut & nonnulli extant in sacris. Liber Sapientiæ cap. 16. v. 6. & sequentibus allegans hanc historiam, appellat sane serpentem æneum *Signum salutis*, sed applicatio longè fit aliter, nempè in genere de mitigatione & liberatione pœnarũ. Sic enim ait: *non in perpetuum ira tua permansit; sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ. In hoc ostendit inimicis nostris, quia tu es, qui liberat à malo.* Quibus verbis ostenditur usus generalis

ralis hujus typi, qui est quod Deus in media sua ira recordetur misericordiæ suæ, & tandem à malo liberet. Cui generali usui subalternatur & includitur, vel maximè hæc liberatio per CHRISTUM facta, in qua genus humanú non tamen à malo pœnæ temporalis & æternæ: sed & malo culpæ liberatum est. Paulus item 1. Corinth. 10. v. 9. respiciens in inflictam serpentum plagam, usurpat hoc exemplum adhortatorie ad vitæ Emendationem: *ne tentemus*, inquiens, *Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt.* Qui Paulinus usus nihil præjudicat explicationi Christi, sed ostendit tantum, quàm latè pateat salutaris usus dictorum scripturæ, cuius tamen verus & ultimus finis est CHRISTVS, & quasi nucleus scripturæ, qui ob id in hac quoque prophetia imprimis tenendus & observandus est.

PARAPHRASIS TEXTUS.

TExtus parum in se habet difficultatis; particula *Quamobrem* respicit actum antegressi peccati & rebellionis populi contra Moysen & Deum ipsum. Etsi enim Deus immenso beneficio paulò antè hunc populum affecerat, & largitus illis erat victoriam contra Cananæum Regem, quem funditùs everterant: Tamen quamprimum Horizontem

& solum mutabant & nova castra locabant de monte Hor, per viam quæ ad mare rubrum ducebat, ipsi summâ cum ingratitudine tantum Dei beneficium animis penitùs delent, & contra Moysen Deumqve graviter murmurant: Cur nos eduxisti de Ægypto, ubi nec panis nec aquæ sunt? Atque licet abundè satis Deus super illis pluebat Manna: Tamen ad cibum istum se nauseare dicebant: Atque hoc modo quasi pedibus conculcabant, tùm beneficium eductionis & liberationis à servitute Ægyptiacâ, tùm beneficiũ victoriæ contra hostes, tùm beneficium miraculi divini, quo hunc populum cœlitùs pascebat. Horrenda proh dolor facinora, ad quæ Deum connivere debere contra divinæ justiciæ erat regulam. *Quamobrem* videlicet ob causam tantorum delictorum Deus ad justam commotus iram, inflixit quoque pœnam tantis peccatoribus & peccatis dignam, & *misit in populum* istum suum refractarium *Ignitos serpentes*. Sic dicuntur, tùm quod habuerint cutem ex nimiâ veneni viriditate coruscantem quasi, & ardentem, unde & apud Hebræos nomen habent, ut paulò post dicetur; tùm per Metalepsin, quod pungendo non tantùm vulnera, sed simul venenata vulnera inflixerint, in quibus postea virus per totum corpus vulneratorum repens, tantos excitavit dolores, quan-

quantos vivus ignis perpetuo urens & æstuans, ossa & membra intus depascens. Sed undenam tanta serpentum copia, eaque tàm repentè producta? Miratus est ad stuporem usque Aristoteles lib. 6. cap. ultimo historiæ animalium, de generatione murium magno numero & celeritate aliquoties productorum, ut nullam ipse Physicam invenire potuerit, ex quâ causam illius rei reddere potuisset. Quid ergo putas futurum de hisce serpentibus? Nos cum stupore confiteri oportet, esse & hæc & quàm plurima alia extra & supra naturæ ordinarios effectus, quorum causæ penitùs ignorantur, nec ulla necessitate Deum naturæ parentem obligari naturæ: Sed omnipotenti suâ & imperatoriâ voce vocâsse illos serpentes, cum miraculo in supplicium populi sui, cui tota natura ancillatur. Liber sapientiæ describens hos colubros, meminit sævitiæ & iræ illorũ. Præterquam ergò quod erant venenatæ bestiæ, accensæ fuerunt insuper à Deo affectu & iracundiâ studiosè nocendi & sæviendi: haud secus ut rabidi canes; aut uti lupi sæviunt naturali & innatâ quadam iracundia in oves: sic sæviebant illi serpentes in populum. Non erant ergò segnes aut lenti; sed cum rapidi tum rabidi ad exequendum mandatũ supplicii divini, ad quod missi erant. Hoc est illud enorme supplicium,

quod Deus inflixit ingrato & immorigero suo populo per serpentes. Unde etiam multi non tantum vulnerati sunt, sed quam plurimi etiã illorum morte extincti. Quod Deus nullum alium fecit in finem, quàm ut discerent agnoscere sua peccata & pœnitentiam agere, & sicut liber sapientiæ loquitur, *fecit hoc ad commemorationem legis suæ*. Atque hoc primum est huius historiæ membrum de ipsâ pœnâ.

LOCI COMMVNES PRIMÆ PARTIS.

I.

INitio hîc habemus detestandam ingratitudinem populi Israel & duram pervicaciam murmurandi contra Deum benefactorem suum. Enorme vitium est ingratitudo in Deum, quod ex pœna tàm gravi apparet. Ingrati enim præripiunt Deo laudem omnipotentiæ, providentiæ & veritatis suæ, eamq; sibiipsis imputant & asscribunt, quapropter etiã non recedet malum à domo ingrati, qui reddit mala pro bonis. Proverb. 17. v. 13. Propterea quod P. Mimus dicebat de ingratitudine in homines: Ingratum cum dixeris, omnia vitia dixeris: Id nos rectius de ingratitudine in Deum commissâ dicere possumus, utpote quę secum trahit Lernam innumerabilium vitiorum. Nam in ingratis erga Deum, non est & manet

manet vera Dei agnitio; non enim agnoscunt Deum auctorem percepti beneficii: Deinde non est fiducia in Deum, cum suis ingrati potius confidant viribus. Porrò non dilectio Dei, sed merò contemtus, quem si diligerent, non contemnerent, neque negligerent gratiarum actionem. Præterea non est spes in Deum, quid enim ab illo sperent, cui nihil acceptum referunt? Adde quod ingratis nulla sit humilitas submittendi se potenti manui Dei. Quid multis? Silet apud illos vera invocatio Dei, vera prædicatio & confessio, & contrà subnascitur Idololatria, in qua ponitur caro brachium ingratorum, Item apostasiæ, defectiones, abnegationes Dei & murmurationes contra Deum, ut in hoc populi facto expressè videmus. Quid igitur mirum, si tot tantaq; peccata Deus etiam tot tantisque pœnis est persecutus? Nam, ut inquit Basilius, *Indigna res est eum qui beneficio affectus sit, præterquam quod ingratus sit, etiam iniuriâ & ignominiâ lacessere benefactorem*: Indignum quidem id est, sed facienti majori est damno quam patienti: Discamus itaque evitare ingratitudinem & metuere iram Dei, nam ex alieno malo qui sapit, ille sapit. Quod etiam Paulus, hoc exemplo usus, nos docet 1. Corinth. 10. v. 9.

II.

In tam repentina & innumerabili serpen-

pentum copiâ à Deo immissâ discimus agnoscere obsequium, quod tota natura præstat Deo nostro. Illo enim jubente vel aquæ ranas ebullire, vel omnes pulviſculi viviſcere, inque pediculos transire, vel omnes atomi aëris muſcas generare debent, tantùm ut adverſantes Deo dignis afficiantur pœnis: quod ex plagis Ægypti luculenter apparet. Eſt enim DEVS noſter DEVS ZEBAOTH, DEVS exercituum, cui tota natura omneſque ac ſingulæ eius partes tanquam indefeſsâ & inſtructiſſimâ acie ſtant & militant. Sic Pſalmiſta 148. v. 8. *Ignis, grando, nix, glacies, Spiritus procellarum faciunt verbum eius*, id eſt, jubentur exequi voluntatem Dei, quando, quomodo & ubi vult. Et Deus armare dicitur Creaturam ad ultionem inimicorum; Sap. 5. v. 18. ut videmus in præſenti exemplo, ubi ſerpentes armavit ſævitiâ & rabie puniendi delinquentes. Eccleſiaſtes annumeravit hiſce mandati Dei executoribus etiam ſerpentes, cap. 39. v. 35. *Omnia hæc ad vindictam creata ſunt, beſtiarum dentes & ſcorpij & ſerpentes & romphæa, vindicans in exterminium impios.* Ubi ergo Phyſica ſcientia cauſas harum pœnarum indagare non poteſt, agnoſcatur digitus Dei, qui hoc facit, quod ipſum Pharaonis Magi nolentes volentes cogebantur fateri. Exod. 8. v. 19.

Fons

III.

Fons & origo peccati in populo Judaico notetur, quod fuerit concupiscentia delicatulæ carnis nauseantis ad cibum Mannæ. Deus dederat illis Mannam in escam abunde satis : sed non satisfaciebat cibus ille palato ipsorum. Tàm erant delicatuli, hoc est, tantopere in illis dominabatur carnalis concupiscentia. Sicut enim Eva πρωτομήτηρ nostra exardescebat in fructum vetitum μαλακίᾳ seu concupiscentiâ illicitâ, & in se derivabat pœnam maledictionis ; ita hi quoque μαλακίᾳ quasi, seu carnali concupiscentiâ accensi committebant hoc tàm grande peccatum, & conjiciebant sese in hanc pœnam. Ubi expressè licet videre peccandi progressum, unde oriatur, quomodo progrediatur, & quid tandem impetret : nempe quod primo suboriatur & concipiatur quasi in utero concupiscentiæ depravatæ, tanquam in prima πρωτοπαθείᾳ instinctu & inclinatione, quæ gignit malos affectus : Deinde quod tandem accedat consensus & executio ; denique verò sequantur fructus admodum mali, nempè perditio & pœna. Quæ tria Jacobus ordine complectitur cap. 1. v. 14. *Vnusquisq; tentatur*, inquiens, *à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus : Deinde concupiscentia ubi concepit, parit peccatum. Peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem.*

Qui igitur vult vitare pœnam, vitet actum peccandi, occurrat statim in initio primis & pravis titillationibus Carnis.

IIII.

Serpentes igniti vulnerantes populum Israel, gerunt typum depravationis totius generis humani per Diabolum inflictæ. Diabolus enim induens formam serpentis & persuadens primis nostris parentibus peccare, mira illis inflixit vulnera. Postquam enim incussisset stimulum mortis, quod est peccatum 1. Corinth. 15. ver. 56. totam naturam humanam aculeo suo venenato infecit, adeò ut, sicut virus lethale non subsistit uno loco, sed diffunditur per totum corpus, inprimis vero cor ipsum tanquam fontem vitæ petit & corrumpit; Ita quoq; aculeus Diaboli impressus carni totũ hominem infecerit & corruperit, ut jam oculi mentis cæcutiant in agnitione Dei, voluntas langueat, affectus in corde summe sint veneno peccati depravati, membra omnia ad mandata Dei sint languida & emortua. Unde querelæ Dei apud Esaiã cap. 1. v. 6. *Omne caput languidũ, & omne cor mœrens, à planta pedis usq; ad verticem non est in eo sanitas, vulnus & livor & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neq; fota oleo.* Quid? quod & lingua infecta est veneno peccati, teste Paulo Rom. 3. v. 13. qui sic ait ex Psalmo 140. v. 4. *Ve-*

nenum

nenum aſpidum ſub labijs eorũ. Incanduit hiſce virulentis telis lingua, ut ignis, ſic & univerſitas iniquitatis inflammata eſt à gehenna Iacob. 3. v. 6. quæ ante hanc depravationem promta erat, imò promtiſſima tantùm in obſequium & laudé Dei. Peccati veneno infecti, circumgeſtamus nobiſcum *cauteriatam conſcientiam*, 1. Tim. 4. v. 2. & expoſiti ſumus in tota vita noſtro *ignitis Diaboli telis*, Eph. 6. v. 16. Et ſicut venenum inexplebilem ſitim accendere ſolet, ita in nobis quoque eſt defectus fontis ſalutis æternæ. In ſumma quod Pſalmiſta conqueritur Pſ. 38. v. 4. *Non eſt ſanitas in carne noſtra*, & v. 6. *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices noſtræ.* Tantis occupati ſumus languoribus & doloribus ob inflictum peccatum! Et non tantùm ſunt hæ plagæ ſuſtinendæ; ſed tandem, ſicut vulneratos à ſerpentibus, manebat mors certiſſima: Ita & nos propter hanc peccati labem originalem, manet mors gehennæ crudelis & æterna, in qua pereundum eſt omnibus ob peccata, qui non reſipiſcunt. Unde ex hoc tàm evidenti typo diſcamus noſcere figuram depravationis totius generis humani, & fateamur nos eſſe mortuos in delictis & peccatis noſtris Epheſ. 2. verſ. 1. ne leviculè cum Scholaſticis, Pontificiis & Pelagianis de labore originali ſentiamus.

SECVN-

SECVNDÆ PARTIS PARAPHRASIS.

HActenus audivimus malum pœnæ, quod inflictum fuit populo Israel: Nunc audiamus salutare antidoton huic malo à Deo inventum. Irrogârat Deus ut paulo ante ex lib. Sapientiæ dicebatur hanc pœnam, εἰς ἀνάμνησιν ἐντολῆς νόμε, h. e. ut revocarent sibi deinceps rectius præcepta legis divinæ in memoriam, & ut ante actum delictum penitius agnoscerent, & ad pœnitentiam agendâ hoc modo adigerentur. Neque excidit Deus hoc fine, nam quam primùm inceperunt dolere, statim inceperunt & flere & pœnitere. Quæ premunt, preces exprimunt. Summi igitur contentione ad Moysen properant cũ gemitu, cum lachrymis, dicunt, clamant; *Peccavimus, locuti enim sumus contra Deum & te,* quasi dicant, hæc calamitas in quam conjecti sumus, facit nos serò sapere, sustinemus illam non indignè, sed dignissimè, patimurque pro merito nostro. Quia etsi Deus innumerabilibus beneficiis hactenus nos affecit, & ipse rectius intelligit, quid nobis conducat, quàm ipsi nos: Tamen voluimus illum in gyrum nostræ perversæ rationis cogere, & non sequi rectè ducentem, contemsimus etiam dona ipsius, quibus nos cibavit cœlitus, & maledi-

ximus

ximus Deo, quasi is improbè nobiscum agat, & deducat nos in nostram pernitiem per loca deserta. Te quoque illius ministrum huius rei conscium studiosè protrahere iter in nostri pernitiem, sumus calumniati. Qua ratione dupliciter contra Deum peccavimus, & ob id dignas luimus pœnas. Atque hæc indignitas nostra nosmet terret, ut precibus nostris in conspectum Dei venire non ausimus, itaq; te intercessore maximopere opus est, *Ora* pro nobis & interpella *Deum*, uti sæpè feciſti, *ut tollat à nobis serpentes*, ut finem huic malo facere, & nos à venenatis morsibus harum bestiarum tandem liberare pro gratuita sua misericordia non dedignetur. Sic corripit illos pœnitudo delictorum, & sic deprecantur culpã. Moyses etsi graviter offensus, secundum carnem, potuisset illis officium interpellandi Deum planè abnegare: Tamen vir semotis ex oculis omnibus offensis, oravit pro populo. Deus, quem longè gravius offenderat refractaria hæc populi pertinacia, ut intercessioni locum dare & aures admovere ex merito non debuisset; tamen præ inperveſtigabili sua clementia miseretur populi, & admittit deprecationem Moysis, & invenit huic malo tale remedium. *Fac*, inquit Moysi, *serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus assexerit eum, vivet.* שָׂרָף *Saraph* vocabulum à radi-

ce שָׂרַף *Saraph, incendit*, nomen habet, & sic dicitur ab igneâ coruscatione, quo nomine paulò antea dicebantur serpentes igniti, quod septuaginta ab affectu verterunt ὄφεις θανατῶντες, *serpentes mortiferi vel lethales.* Estq; hoc idem vocabulum quo & angeli Seraphin, qui etiam à coruscatione nomen habent, appellantur. Iubet igitur Deus Moysen serpentem facere ad similitudinem illorum, qui vulnera inflixerant, nã & illi vocantur שְׂרָפִים *Hasseraphim*, & Moyses ipse explicat, quid Deus per vocabulum שָׂרַף *Saraph*, voluerit intelligi. Facit enim, exequendo mandatum Dei, serpentem æneum, quem fudit ex metallo æris vel cupri, figuram serpentis referentem. Obseruetur etiam vocabulum נֵס *Neß, Pertica*, super quam collocandus erat serpens æneus. Aliquando enim נֵס *Neß*, significat in sacris *perticam prælatam*, , aliquando *furcam* seu *patibulum*, aliquando etiam *vexillum*, à radice נָסַס *Nasaß*, *vexillum erexit agitando*, quod cognationem habet cum נָשָׂא *Nasah*, quæ significata huius vocabuli obseruâsse operæ precium est, ut paulò post monstrabimus usum. Nunc consilium Dei quod attinet, in quo ponit antidoton & medicinam morsibus serpen-

serpentum virulentis, observentur in eo, primum verba mandati: Deinde verba promissionis. Mandatum ad Moysen duo habet membra: Primum conficere serpentem, deinde constructum serpentem erigere super pertica in altum. Verba promissionis addita erant huic effigiei, quod quicunque aspecturus esset illã, supervicturus esset, & recuperaturus pristinam valetudinem. Id verò opus valde mirabile & quidem puerile, vel etiam, planè inutile consilium videretur; si humana ratio in arbitriũ hic vocanda esset. Quomodo enim mortua figura serpentis medeatur morsibus vivorum animalium? Et longè fuisset satius, si Moyses ex mandato Dei relegâsset è medio castrorum bestias ad unum omnes, & sic salutiferâ & medicâ manu attigisset vulnera & sanâsset. Quid verò si mortuos serpentes vulneribus infectorum imposuisset? id omnino congruum fuisset Physicæ scientiæ. Simile enim aggregat sibi simile. Atque hac ratione pestilentiales Bubones, bufonum cadaveribus; scorpionum ictus, scorpionum exuviis curantur. Et hoc modo institutum Dei fuisset rationabile: Nunc planè ἄλογον est & ἄτοπον. Obsecundat tamen Moyses nihilominus humiliter & piè Deo summo medico in Israël, atq; expedit mandatum.

Loci

LOCI COMMVNES.

I.

HAbemus hic insigne exemplum de causis calamitatum nostrarum, quas Deus immittit. Causæ enim προηγουμεναι pœnarum à Deo immissarum, sunt actualia nostra peccata, quibus sæpenumero Deum offendimus, ut in Israelitis hoc loco, qui atrocibus suis delictis Deum ad iram provocarunt. Προηγουμενη in Deo justitia est, pronuncians & statuens pœnas in delinquentes. Imprimis autē notandæ sunt causæ finales, quid tandem spectet Deus in hisce malis. Nec enim Deus immittendo calamitates quærit hominum extremam παντολεθριαν, sed potius vult, ut hisce quasi flagellis hamo & freno, tanquam indomiti & lascivientes juvenci, in gyrum obsequij divini cogantur, Ier. 30. v. 11. & 31. ver. 10. Et quia quæ vocant, non semper nos docent, doceant quæ nocent: Sic παθηματα fiunt μαθηματα. Pœnis igitur correcti & castigati, discant tandem agnoscere peccata & opprobria sua, percutere femur, pœnitentiam agere, & cautius, quod aiunt, imposterum mercari, sanctiusq; vivere, ne tandem in peccatis perdurantes cum hoc mundo pereant, ut inquit Paulus 1. Corinth. 11. v. 32. *Dum iudicamur, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.*

Seria

II.

Seria & salutaris pœnitentia inchoanda est à querula & tristi illa voce: *Peccavimus.* Initium enim salutaris pœnitentiæ est agnitio peccatorum: Et sic David agens pœnitentiam; *Tibi*, inquit, *soli peccavi & malum coram te feci*, Psalm. 51. v. 6. Sic Daniel & suo & populi nomine cap. 9. v. 5. *Peccavimus*, inquit, *iniquitatem fecimus, impiè egimus, & recessimus & declinavimus à mandatis tuis & iudiciis, non obedivimus servis tuis, &c.* Sic filius prodigus Lucæ 15. ver. 19. *Pater, peccavi in cœlu & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.* Inchoari autem sic dixi pœnitentiam salutarem, non absolvi: nec enim acquiescendum est in sola hac parte agnitionis peccatorum: sed addenda est deprecatio, quæ fit per fidem misericordiæ & gratuitæ remissionis Dei. Hoc modo populus Israel statim interponendam judicat orationem pro remissione peccatorum: Nam *pro remissione peccatorum orabit ad te omnis sanctus*, inquit Psalmista Psal. 32. v. 6. Quæ duæ partes principales pœnitentiæ in recessu concomitantem habent novam obedientiam. Ubicunque est seria agnitio & deploratio peccatorum & deprecatio remissionis illorum per fidem, ibi non potest non esse detestatio peccatorum & fuga, & ex opposito studium melioris vitæ.

III.

Moyses fundens ex ære serpentem ad similitudinem ignitorum serpentum castra vastantium, non commisisse putandus est Idolatriam contra primum præceptum, ubi dicitur: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ est in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra*, Exod. 20. v. 4. Hæc enim cautela primo præcepto annexa, non est absolutè intelligenda: sed relatè, hoc est, εἰκονοπλασία seu fabricatio imaginum prohibita est non per se, sed respectu cultus. Nemo ergo fundere, fingere, pingere debet imagines, hoc fine ut illas adoret, aut opinionem præsentiæ cujusdam divinitatis illis affingat, vel cultum; unde & in hoc præcepto, plenioris ἐξηγήσεως ergo additur: *non adorabis ea, neque coles*, quod contra εἰκονοπλάστας veteres & hodiernos probè observandum est. Secus si fiat, ut si fabricantur isto fine, quo illis ullus honor exhibeatur, vel etiam cum superstitione extra verum suum usum affingatur novus cultus, degenerentque in causam offendiculi, tunc nequaquam ferendæ sunt imagines. Id quod Ezechias rex pius nos docuit demoliendo post multorum annorum decursum hanc machinam æneam. Nam in symbolum antiquitatis & perpetuum monumentum auxilij divini, initio populus

Isra-

Israël asservandum curaverat hunc serpentem per multos annos, idque non malo consilio. Sed quid fit? Successu temporis affingitur huic statuæ nescio quid sanctimoniæ & cultus, adeò ut adolerent ei incensum, quod non tantùm faciebant sine verbo promissionis & mandati, (prima enim de hac machina promissio temporanea erat, & jamdudum pro diversitate temporis & loci expiraverat & sublata erat.) Sed faciebant etiam hoc contra mandatum Dei, tùm quod Deus non jusserat huic serpenti adolere incensa, sed tantùm oculis intueri; & quidem pro tempore sævientis pœnæ in deserto, tùm quod in genere Deus prohibuerat cultum idolatricum. Rectè igitur Ezechias Rex pius heroico animo confringebat hunc serpentem, ut qui jam nullius esset usus, sed abusui potius in cultu idolatrico inserviebat, simulque melius instruebat, vocabatq; nomen eius Nechustam, quasi dicat, desiit nunc ista relatio annexa huic imagini à Deo, quâ jam remotâ & exstinctâ, hæc imago nihil aliud est, quàm æs aliquod absolutum, in quo præter materiam, nihil singulare attendendum est. נְחֹשֶׁת *Nechoscheth* enim *æs* vel *chalybem* significat, unde cum affixo, ut vult Pagninus נְחשְׁתָם *Nechustam, æs eorum*. vel ut vult Avenarius נחשתן

נחשתן *Nechüſtan*, ita ut Nun finale ſit diminutivum, cuius ſententiæ etiam Lutherus eſt, quaſi dicas ænulum, vel ſerpentulum, ex paulo æris confectum. Ex quibus liquet, Ezechiam adjeciſſe ſuo inſtituto concionem ſacram, cuius ſumma hæc fuerit, quod ſerpens æneus jam extra uſum poſitus non habeat rationem ullius ſacramenti, ſed quod ſit ſimpliciter tantum æs & metallum, nitidum videlicet elementum, non habens annexionem cultum; atque ob id nullam virtutem. Unde rectè exſtructa eſt noſtra quoque regula in genere, qua contra Pontificios uti ſolemus: Nihil habere rationem Sacramenti extra uſum.

IV.

Quod populus orat ut Moyſes intercedat pro illis, id nobis depingit indolem & naturam cauteriatæ conſcientiæ. Illa enim fugit Deum ut horrendum judicem, nihilque ab eo boni ſperare nedum audet petere, Sicut Sapient. 17. v. 11. dicitur, *cum ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis, ſemper enim præſumit ſæva perturbata conſcientia.* Et verſ. 13. *dum ab intus minor eſt expectatio, maiorem computat ſcientiam eius cauſæ, de qua tormentum præſtat.* Recte igitur aſſimilatur mala conſcientia Moloſſo ſuaviter dormitanti & aliquandiu quieſcenti; ubi

ubi autem vel plaga vel alio modo irritatur & excitatur, latrat & mordet. Quo Deus alludere videtur, Gen. 4. v. 57. inquiens: *Si mala egeris statim in foribus peccatū tuum aderit*, quod clarius in fontibus legitur; *Si non benefeceris ad ostium peccatum cubat*: Hunc molossum malæ conscientiæ ad ostiū cubantem discamus metuere & cavere, ne per peccatum illi aditum paremus & irritemus. Ille enim evigilans latratu suo cœlum & terram implet, & terret undique, ut in Juda, Francisco de Spira & aliis videre est.

V.

Et quod præcipuum est, habemus hic illustrem typum, quo præfiguratur mors & passio Messiæ promissi Domini nostri Iesu Christi. Sic enim Christus nos docet Ioan. 3. ver. 14. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: Ita & exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* In quibus verbis continetur dulcissima concio Evangelii & illustre testimonium & vaticiniū de morte & passione Christi. Quod operæ precium est diligentius & luculentius persequi, ut in quibus membris antitypus typo respondeat, in fidei nostræ majorem confirmationem, plenius discamus. CHRISTVS IESVS est ille Saraph seu serpens æneus coruscans: Nam ratione divinæ & æternæ suæ

generationis verè est coruscans: Imò ipsum ἀπαύγασμα seu splendor gloriæ Dei ut dicitur Hebræ. 1. v. 3. In universum excedens & superans claritatem Angelorũ Seraphim, quos tàm longo intervallo post se relinquit, quàm creator creaturas. In qua coruscante & flammante luce, si seipsum Christus in medium constituisset, nullus hominum tantam lucem potuisset sustinere. Itaque obnubilavit hunc splendorem, assumtâ servi formâ. Quod in typo nostro sic adumbratur. Debebat ille erectus Saraph coruscare, sed tamen ita, ne languentibus esset in terrorem, ideoque nec ex auro nec argento, nec orichalco, sed ex cupro & ære fundendus erat. Æs & cuprum lucet quidem, sed oculos non offendit. Et prout irradiatur à Sole: Ita quoque plus vel minus emittit luminis. Sic filius Dei lux mundi ex luce inaccessa prodiens, in assumtâ carne humana pro beneplacito consilii divini sæpè exeruit radios gloriæ suæ, adeò ut fecerit multoties conspici gloriam suam, quasi unigeniti à patre, Ioan. 1. vers. 4. Ita tamen ne plene intolerabile illud fulmen Deitatis suæ effunderetur. Erat ergò formæ contemtibilis, quid enim elegans in serpente? imò erat formæ exosæ. Serpentes enim cum conspiciuntur exosi sunt, atque hærent sub maledicto. Christus Iesus & ipse factus pro

nobis

nobis maledictum, quia scriptum est: *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, Galat. 3. vers. 13. Et *fuit ipse quoq; despectus & novissimus virorum, cui nec species fuit nec decor*, Esai. 53. vers. 23. *Imò vermis factus est & non homo, opprobrium hominum & contemtus plebis*, Psalm. 22. v. 7. Sed etsi serpens æneus formam venenati serpentis habebat, tamen nec veneno infectus erat, nec inficiposterat: Ita Christus quidem erat in forma hominis peccatoris, sed peccator non fuit, nec peccato fuit ullo corruptus, vel in natura vel in actione. Unde & Paulus dicit Rom. 8. ver. 3. *Deus filium suum misit in similitudine σαρκὸς ἁμαρτίας*. Ubi Genitivus loco Adiectivi Hebræorum more ponitur, quasi dicat ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτητῇ in similitudine carnis peccatricis, ut sensus sit: κατὰ σάρκα, secundum carnem missus fuit Christus, non tantùm ἐν ἀληθείᾳ in rei veritate homo: At verò κατὰ σάρκα ἁμάρτητον, quod ad carnem peccatricem fuit tantùm ἐν ὁμοιώματι in similitudine, quia ἀναμάρτητος sine peccato: ut Ecclesia canit: *In carne nobis similis, peccato sed dissimilis*. Expers igitur erat Christus omnis veneni, qui venenati serpentis habebat ὁμοίωμα seu similitudinem. Est verò & salutare antidoton contra virus peccati & *illius sanguis emundat nos ab omni peccato*, 1. Ioa. 1. v. 7. Atq; ita medetur serpens morsibus serpentis antiqui et draconis, qui primos nostros

parentes assumtâ serpentis formâ circumvenit & decepit. Hic jam serpens serpenti opponitur, salutaris serpens æneus Christus, pernitioso & damnoso serpenti Diabolo. Atque ut serpens virgæ Aaronis devorabat Ægyptiacorum incantatorum fictitios serpentes, Exod. 7. v. 12. Ita Christus serpens æneus devoravit & absorpsit Diabolum & mortem, juxta illud Oseæ: *Absorpta est mors in victoria*, 1. Corin. 15. v. 54. Concludimus ergo ex his omnibus Christum esse verum antidoton & theriacam liberantem à morsibus & vulneribus lethalibus Diaboli, mortis & peccati.

VI.

Porrò & hoc attendendum vel maximè est, quis consilium & remedium hoc invenerit? quis dederit? videlicet solus Deus. Idq; non pro benemeritis populi, sed ex gratuita & immensa sua bonitate & misericordia. Sicut enim populus Israel in deserto Deum horribiliter offenderat, & jam erant inimici & hostes Dei: Ita totum genus humanum erat segregatum à Deo, imò inimicitia adversus Deum, neque quicquam mereri poterat. Interim Deus misertus est calamitatis nostræ, ut & ipse inquit Ezech. 16. ver. 4. *Transiens per te vidi te conculcatum in sanguine tuo, & dixi tibi cum esses in sanguine tuo, vive.* Eph. 2. v. 4. *Deus*

qui

qui dives est in misericordia propter nimiam caritatem suam quâ dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, vers. 8. *Gratia igitur DEI salvati sumus, per fidem, & hoc non ex nobis, DEI donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur* Ad intuitum ergo tantæ misericordiæ obstupescere debemus cum Ioanne 1. cap. 3. vers. 1. *Videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis*, & quod Petrus ait, etiam sanctis Angelis volupe est παρακύψαι in hoc mysterium. Totum ergo nostræ salvationis opus ponendum est tantum in gratia misericordiæ Dei, sine merito nostro, nobis per Christum paratæ.

VII.

Genus mortis Domini nostri Iesu Christi in hoc typo quoque evidenter adumbratum est, nam non tantum nudè fabricanda erat serpentis figura, sed & erigenda in altum & sistenda in intermedio cœli & terræ. Quo significabatur sic quoque exaltandum esse filiũ hominis, id est, simili mortis genere, ut erat crucifixio, afficiendum esse. Unde etiam crucifixio dicitur *Christi exaltatio à terra*, Ioan. 12. ver. 32. Et sic oportebat eum esse mediatorem stantem inter Deum & hominem, cœlum & terram, quæ duo interventu suo combinare & copulare debebat. Quod & idem per typum scalæ Iacobi, cuius summitas tangebat cœlum,

basis terræ insistebat, præfiguratum est, ut S. S. haud obscurè innuit, Ioan 1. v. ult.

VIII.

Colligitur etiam hoc loco facilimè, Regnum Messiæ non esse terrenum, si enim exscindi illum oportebat contumeliosâ morte in his terris, quomodo carens majestate terrenâ regio honore hic denominaretur? Sed de hoc loco aliàs pluribus.

IX.

Consilium Dei de salvando populo per serpentem æneum, quàm ridiculũ videri poterat humanæ rationi, tàm stultum & ineptũ apparet quoque rationi Euangelium de Christo. Quis enim humanitus sibi persuadeat filium Dei passum esse? Quis non offendatur præsapientiâ humana cogitans, mortem crucis & patibuli & quidem per hominẽ sic passum & extinctum nos Deo reconciliatos esse, aut reconciliari potuisse? Absona & absurda non possunt non esse hæc omnia sapientiæ humanæ. Stulta est igitur prædicatio Euangelica de cruce Christi, & non mirum est cessisse Christum crucifixum Judæis, qui signa petebant, qui de Messiæ regno magnifica & splendida coram mundo somniabant, in scandalũ: Græcis, qui sapientiam quærebant, in stulticiam. Sed nos non patiamur nos offendi hac contemtibili & stultâ prædicatione, quę pere-

unti-

untibus quidé ſtultitia eſt; ſed vocatis Dei eſt virtus & ſapientia, ut prolixè docet Paulus 1. Cor. 1. v. 18. cum ſequentib⁹. Sicut ergo Moyſes Deo patefacienti hoc conſiliũ de ſerpente æneo, aures & mentem obſequentem accommodavit, oculos verò humanæ rationis clauſit: Ita & nos patefacto Evangelio de Chriſto aures noſtras porrigam⁹ et cor arrigamus, Oculos vero et rationẽ humanam in obſequium Dei captivemus, 1. Cor. 10. *ne & nobis ſit Chriſtus lapis offendiculi. Beatus enim ille, qui non offenſus fuerit per me*, Matth. 16. v. 6.

X.

Pertica quâ tùm ſerpens æneus, tùm Chriſtus erectus erat, parit nobis quoq; dulces & pias meditationes de fructu & efficacia mortis Chriſti. Sicuti enim ſerpens erectus μεσίτης erat inter Deum & hominem, quantum quidé ad hoc malũ, quo tum temporis vexabantur, attinet: Ita Chriſtus Ieſus in intermedio cœli & terræ poſit⁹, inter Deum & hominem mediator eſt, per quem tanquam verum vinculum connexionis conjunguntur iterum, qui per peccata inter ſe erant diviſi, Deus & totum genus humanum. Eſai. 59. v. 2. *Iniquitates noſtræ diviſerunt inter nos & DEVM noſtrum.* Et quia mediatoris eſt intercipere duas partes adverſantes, illaſq; interventu ſuo reconciliare: Ideo filius Dei voluit etiam iſto

mor-

mortis genere perire, quo ipso situ officii huius sui rationem manifestaret. Deinde neque hoc prætereundum est, quod eodem ipso vocabulo נֵס *Neß*, quo *pertica* huius exaltationis denominatur, usus etiam sit ipse Spiritus sanctus alio in loco, qui commodè huc facit. Exod. 17. v. 15. in denominatione sacri altaris, quod extrui jussit ipse Deus. Sic enim ibi: *Et ædificavit Moyses altare, & vocavit nomen eius Dominus* יְהוָה נִסִּי *Nißi, refugium meum*, ad quam tanquam ad sacram anchoram, quam habent animæ nostræ tutam ac firmam, Hebr. 6. v. 19. merito confugimus. Denique sicut pertica hæc erigebatur quoque in vexillum quod ex alto & à longè poterat conspici: Ita prædicatio Euangelii de cruce Christi admodum eminens & illustris est, & divulgata longè latèque per totum orbem terrarum, & stat adhuc Dei beneficio hæc radix Jessæ *in signum seu vexillum populorum*, ut Esai. 11. v. 10. prædictum est, sub quo vexillo vincet Diabolu, mortem, infernum, omnis qui huic tesseræ nomen suum adjuravit: Sicut olim Constantino Magno signum crucis in aëre cum hac inscriptione ostensum legitur: *Sub hoc signo vinces.*

TERTIA PARS.

SIcut remedia sæpè vel nihil prosunt, vel obsunt etiam, si non dextrè & competen-

ter

ter applicentur, ita quoque serpens æneus nihil profuisset, nisi & verbum promissionis de modo applicationis auditum fuisset, de quâ jam etiâ paucis in hac parte audiemus. Moyses uti jussus erat, fecit serpentem æneum, & posuit eum pro signo, promulgavit verò simul, ut fidelis præco & deprædicavit toti populo annexam huic signo promissionem divinam, videlicet Deum misertum totius populi, præcepisse erigi hunc serpentem contra sævientes serpentum ictus, ut quicunque vel à longè etiam intuiturus esset illud signum, statim ex virtute promissionis divinæ recuperaturus esset valetudinem pristinam, & liberationem à plagâ inflictâ. Modus igitur applicationis consistebat in intuitu suspensi serpentis. Quia verò ratio huius remedii tàm absona & stulta erat, ut supra diximus, humanæ rationi, itaque facile est conjcere, multos etjam vulneratorum alto supercilio hoc sanationis medium contemsisse vel etiam neglexisse. Talibus, si qui fuerunt, non profuit certè ipsa serpentis suspensio & exaltatio, erat enim defectus in applicatione. Ii verò omnes percussi, qui obsequebantur promissioni divinæ & erectis oculis hunc serpentem intuebantur, sanabantur efficaciter. Sicut autè plenius in libro Sapient. cap. 16, v. 7. explicatur, *qui conversus est non per hoc quod videbat, sanabatur.*

batur, sed per se omnium salvatorem, ita sentiendum est quoque ipsum serpentem non sanasse quatenus erat absolutum æs, neque etiam ipsum intuitum, quatenus erat opus operatum juvisse: Sed promissionem & mandatum salutis annexum huic typo opem tulisse.

LOCI COMMVNES.

I.

DIscimus hîc quod iterum præcipuum est, quomodo ἀντίτυπος, qui est Dominus noster Iesus Christus, salutariter apprehendi & applicari debeat. Modus applicationis serpentis ænei erat intuitus ocularis; Modus applicationis nostri mediatoris, non consistit in oculari & exteriori intuitu, sed in intuitu mentis per fidem. Fides enim est iste oculus, quo intueri Christum, & salutariter nobis ipsius promissiones & omnia beneficia applicare debemus. Nam quod ibi Moyses dicebat: *Omnis qui aspexerit in hunc serpentem, sanabitur*: Id Christus de seipso filio hominis sic effert, *ut omnis qui credit in eum, non pereat &c.* Et licet corporeis oculis Christum multi non viderint (quandoquidem brevi admodum tempore in his terris versatus sit corporaliter) Tamen nihilominus *beati sunt, qui non vident, sed tantum credunt.* Ioan. 20. v. 29. Atque hoc modo visionis vidit quoque Abraham diem

diem IESV Christi, & gavisus est, Ioan. 8. ver. 5. Fides igitur est instrumentalis causa, qua apprehenditur Christus cum omnibus suis beneficiis, & ratione cuius applicationis justificamur & salvamur. Qua in re pulchrè nobiscum facit Petrus Lombardus lib. 3. distin. 19. Cuius consensus contra hodiernos Pontificios notetur, cum inquit: *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi est, ut olim aspicientes in serpentem æneũ in ligno erectum, à morsibus serpentum sanabantur. Si ergo fidei intuitu rectè illũ inspicimus, qui pro nobis pependit in ligno, à vinculis Diaboli solvimur, id est, à peccatis, & ita à Diabolo liberamur, ut nec post hanc vitam in nobis inveniant, quod puniant. Morte quippe sua, uno verissimè sacrificio quicquid culparũ erat, unde nos Diabolus ad luenda supplicia detinebat, Christus extraxit*, & quæ sequuntur. Quia ergo fides applicationis instrumentum est, necesse est, ut hic oculus benè sit tersus & simplex, & totum corpus lucidum erit, Si autem fuerit nequam, totum corpus erit tenebricosum, Matth. 6. v. 23.

II.

Etsi ipse aspectus (quatenus aspectus) vulneratos non sanabat: Tamen per solum aspectum, seu non nisi per aspectum illos fuisse salvatos dicere non est erroneum. Pari modo: Etsi ipsa fides quatenus qualitas est, non salvet; tamen docere per solam fidem, seu non nisi

nisi per fidem nos salvari summe orthodoxũ & pium est. Et hinc intelligi optimè potest, quomodo fidem justificare & salvare dicamus, non quatenus vel qualitas, vel noticia, vel virtus, vel habitus in mente est: Sed quatenus in relatione, & intuitu suo apprehendit Christum. Objectum ergo Fidei apprehensum quia justificat, quia salvat, ideo ipsi instrumento, quo hoc objectum apprehenditur & applicatur, Iustificatio & Salvatio tribuitur in sacris literis. Sicut id per similitudinem annuli aurei gemmam includentis concinnè explicavit Lutherus, quod notum est. Atque ut non salvabatur alter per alterius intuitum, sed quilibet suorum oculorum proprio aspectu: Ita nemo aliena fide vivet, sed sua, cum nimirum applicatio Christi fieri debeat ad quodlibet individuum, juxta illud Habacuc cap. 2. v. 34. *Iustus fide sua vivet.*

III.

Serpens æneus nihil contulit sanitatis nisi inspectus; Ita Christus nihil confert salutis in eos, qui sibi mortem & merita ipsius non applicant fide. Hæc enim est ordinaria conditio propositi & consilii divini, quam qui spreverit vel neglexerit, efficacia salutari Christi non fruitur. Id veteres solebant hac distinctione dicere velle. *CHRISTVS mortuus est pro omnibus hominibus sufficienter, non efficienter,*

enter, hoc est, Mors Christi sufficit pro peccatis totius mundi, sed nisi mortem Christi fide sibi applicent, non cedit illis mors Christi in salutarem usum & efficaciam. Sic Judæi contemnentes Christum & alium salvandi modum indagantes, ad justitiam, quæ in Christo est, & coram Deo valet, non pervenerunt, ut docet Paulus Rom. 9. v. 31. Quod probè observandum est contra huius seculi improbum hæreticum Franciscum Puccium, qui sic passionem & mortem Christi deprædicat, ut eius efficaciam consequantur omnes, in quocunque ii fidei & religionis cæno tandem hæreant, sive hunc Christum sciant, sive nesciant, sive in illum credant sive non credant. Quod apertè contra pervulgatissimam in sacris literis sententiam est: *Omnis qui credit in filium, habet vitam æternam, qui non credit, damnabitur, imò iam iudicatus est, quia non credit in nomen unigeniti filij DEI.*

IV.

Immensis parasangis distant bona, quæ per intuitum fidei in Christum recuperamus, ab iis quæ intuitus serpentis ænei conferebat. Illic enim impetrabant duntaxat relevamen doloris corporalis, liberationem à vulneribus, tandemque conservationem vitæ temporaneæ: *Fidei autem intuitus in Christum, confert nobis non tantùm bona corporalia,*

sed spiritualia; non terrena, sed cœlestia; non liberationem à morbo corporis, sed redemtionem à languoribus & doloribus animi, à vulneribus conscientiæ, à peccato & quod inde sequitur à morte & maledictione æterna. Quæ bona tanta sunt, ut mente non satis percipi, nedum lingua prædicari, ut par est, queant. Perpetua enim hæc bona sunt & perennia, cuius fructus durabunt in vita æterna sine fine. Quicunque igitur formidant *vermem non quiescentem post hanc vitam*, Esai. 66. ver. 24. Confugiant ad Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, qui *vermis pro nobis factus est*, & ab arrosionibus illius vermis salvi erunt. Atque si sanè quoad corpus vermibus esca fieri debeamus, & à serpentibus absumi, Syrach. 10. v. 13. Tamen omnes nos qui tincti sumus per fidem sanguine huius vivifici serpentis, & purpurati vermiculi IESV CHRISTI, qui absorpsit mortem in victoria, resurgemus cum glorificato corpore, ad vitam æternam, quod nobis omnibus largiatur Deus benedictus in secula, Amen.

FINIS

SEX-

SEXTVM VATICINIVM.

PSALMVS DECIMVS QUINTUS LATINIS,

HEBRÆIS DECIMVS Sextus.

1. Tituli inscriptio ipsi David.

2. *Conserva me Domine, quoniam speravi in te: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

3. *Sanctis qui sunt in terra eius, mirificavit omnes voluntates meas in eis.*

4. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.*

5. *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labra mea.*

6. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.*

7. *Benedicam Domino, qui retribuit mihi*

intellectum, insuper & usque ad noctem erudiunt me renes mei.

8. Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.

9. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe.

10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

11. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia in dextera tua usq; in finem.

χόλιον τῆς λέξεως.

IN titulo verbum est מכתם *Michtham*, quod quid sit, altercantur eruditi. Quidam enim instrumentum Musicum esse dicunt: quidam Clinodium, quidam aureolam, quidam tituli inscriptionem aiunt, sed aliquanto ineptius. Derivatio est à radice כתם *Catham*, quod significat *micuit, splenduit, fulsit*, unde nomen sex punctorum כתם *Cethem*, quod *aurum auriq; massam* significat: ergò longe petitum est, quod quidam *tituli inscriptionem*

nem explicabant, nimirum, quia titulus in frontiſpicio emineret & emicaret. Magis ergo verò conſentaneum dicunt, & in idem recidunt, qui Michtham vel per inſigne, vel per aureolam, vel per rem precioſam vel per clinodium interpretantur. Et legitur tantum hoc vocabulum in titulis Pſalmorum 60. 57. 59. & alibi. Propter inſigne ergò myſterium materiæ, quod continet hic Pſalmus cum Luthero vulgariter per vocabulum *Clinodÿ* interpretabimur. Atque ita titulus pſalmi clavis pſalmi erit, ut Hieronymus dicebat.

Verſ. 2. *Quoniam bonorum meorum non eges*] In Hebræis: *bonum meum non ſuper te*. Hieronymus: *Bene mihi non eſt ſine te*. Pagninus utramque explicationem reſervat in diverſis exemplaribus; vel, *bonum meum non eſt niſi à te*, vel, *bonum meum non ſuper te*. Brentius cum vulgata verſione: *Obædientia mea non indiges*. Lutherus ad Pagninum accedit, dum explicat: Ich muß vmb deinet willen leiden / quaſi dicat, bonum obædientiæ & paſſionis meæ non niſi à te, id eſt, propter te, vel propter cauſam tui.

Verſ. 3. *Mirificavit omnes voluntates meas in eis*] Pagninus ſic legit, *Et inclytis omnis voluntas mea in eis*. Brentius: *Et magnifici ad quos mea voluntate propendeo*. Lutherus: Vnd für den Herrlichen / an denen habe ich allen meinen wollgefallen.

Quartus versus multa habet corrupta, quæ ex Hebræo sic corrigantur : Multiplicaverunt molestos labores seu idola sua per Metalepsin, alienum seu ad alium Deum festinarunt, non libabo libamina eorum de sanguine.

Ver. 6. Tu restitues] Tu sustentas sortem meam.

Vers. 8. *Providebam Dominum in conspectu meo*] Posui Dominum &c. à R. שׁוה *Schava, æquabiliter & congruè & aptè posuit.*

Versu 9. *Lingua mea*] Sic Græcus habet, alii כְּבוֹדִי *Cebodi, Gloria mea*, quod inde fit, quia Hebræi indifferenter hoc vocabulum, tàm pro gloria, quàm pro lingua accipiunt, ut etiam est in Psalmo 30. vers. vltimo, quo promiscuo usu alludunt ad præstantiam huius organi linguæ, cuius usu homo à brutis gloriosè differt.

Ultimus versus sic legitur ad Hebræos fontes : *Facies me scire semitam vitarum, saturitas lætitiarum* scilicet est *cum facies tuis*, hoc est, coram te. *Iucunditates in dextera tua perpetuò.* Quæ pauca (cum vix alius Psalmus sit, in quo toties hallucinatus sit interpres latinus) prætermittere visum non fuit. Cum verò Lutherus magno & vero Theologico judicio servârit proprietatem fontium, & quam potuit fieri

fieri maximè, vernacula nostra lingua expressit veritatem hebræam, meritò in explicatione subsequenti interpretationis ipsius summam agemus rationem.

ARGVMENTVM HVIVS PSALMI.

PSalmus hic oratio est Christi, quæ planè coincidit, & optimè quadrat, cum illa Christi precatione, quam effudit inter eundum, cum tempore passionis instantis contenderet ad hortum Gethsemane, prout illa describitur Ioannis 17. Nam quod Christus hic orat & optat, se conservari in morte & passione, idipsum ibi vocabulo *Clarificationis* à patre suo haud minus exigit. Quod de obædientia sua hic concionatus, id ibi hisce verbis exprimit: *Manifestavi nomen tuum hominibus.* Quod in hoc Psalmo de propensa erga sanctos & magnificos suos voluntate & passione pro ipsis prædicat, id ibi sic eloquitur: *Ego pro eis sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Quod de *Parte hæreditatis suæ, de sorte sua, de funibus qui ceciderunt in præclaris*, id illic de iis ait, *quos ipsi Pater dedit.* Quando hic accusat impios & inquit: *Non congregabo conventicula eorum, nec memor ero nominum eorum per labia mea*: id ibi de mundo dicit; *non pro mundo rogo, mundus eos odio habuit.* Ut igitur

hoc in loco distinguit inter eos, qui passionis & mortis suæ fructum percipiunt, & inter contemtores, qui ad alia festinant: ita illic quoque accuratè inter mundum, seu eos, qui de mundo sunt, atque illos qui de mundo non sunt, nempe discipulos suos & omnes credentes evidens facit discrimen. Denique læta Catastrophe, quæ in hoc Psalmo est, de resurrectione, ascensione, & sessione Christi ad dexteram Patris his verbis apud Ioannem declaratur: *Clarifica me Pater eadem gloria, quam habui antequam mundus fieret apud te.* Et: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum & illi sint mecum, ut videant claritatẽ meam, quam dedisti mihi.* Hæc si quis observaverit, & diligenter contulerit hanc huius, & illam illius loci orationem, non tantum multum luminis afferet intellectui huius Psalmi, sed & summam & argumentum eiusdem rectè constituet & determinabit, videlicet quod hic Psalmus non tantum sit vaticinium de Christo, sed quod sit precatio, quam filius Dei ad æternum Patrem suum effudit, pro conservatione sui in passione & liberatione à morte: Simul indicans futuros, tum qui salutiferæ passionis & mortis suæ efficaciam & fructum sint consecuturi, tum alios qui idola sua & opiniones sectantes, spreturi sint ipsius sacrificium, quibus hoc in gravissimam pœnam cessurum dicit, ut

Messi-

Messias non sit memor futurus nominum ipsorum. Declarat etiam denique Christus, quis futurus sit exitus, & quæ Catastrophe mortis & passionis suæ, nempe lætissimus, quã exceptura sit glorioſa resurrectio, ascensio & sessio ad dexteram Dei patris, in qua delectationes futuræ sint usque in æternum.

ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ *SEV DEMONstratio.*

IN singulis prophetiis hoc nobis usu venit, quod Eunucho legenti quinquagesimum tertium caput Esaiæ, ut est in Actis 8. v. 32. Sic enim ibi ad Philippum: *Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc, de se an alio aliquo?* nimirum hæc prima & summa erat quæstio, imo clavis est omnium vaticiniorum, quærere, de quo Propheta loquatur, itaque & nos rectè facimus, si, de quonam Dauid in hoc textu agat, an de seipso, an de alio, indagemus. Sed hoc dum quærimus, cavendum, ne quamcunque cuiuslibet responsionem & solutionem admittamus. Ex Calvino enim si petimus responsum, ad Davidem nos abducet, quasi is de se etiam loquatur. Melius verò erudiemur, si responsionem ab ipsis apostolis Petro & Paulo omni exceptione majoribus exegerimus. Petrus enim virtute Spiritus sancti indutus ex alto sic verba huius Psalmi Actorũ

2. vers. 25. allegat: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris mihi est, ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua: insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, replebis me iucunditate cum facie tua.* Quæ allegatio apostolica, & verborum ad numerum recitatio ad Christumq; applicatio, tam nobis est sufficiens, ut ne quidem ullam dubitandi amplius habeamus rationem. Sed non substitit Apostolus in nuda tantum verborum recitatione, quin potius ex iisdem verbis plenam deducit demonstrationem, non posse nec debere, nisi de solo Christo hæc huius Psalmi verba accipi. Prima ratio sumta est ex personali officio Davidis, videlicet, prophetarum esse in vaticiniis non agere propriam causam, sed scire, providere, prædicere, quæ Deus juravit de Christo futura; cum ergo David propheta sit, Officii ipsius esse, scire, providere & prædicere eum futura de Christo. Habes argumentum ex loco personarum, quo verisimile reddit Petrus, vaticinium hoc non nisi de Christo sonare.

Deinde analogiam fidei attexit ex juramento, quod jurasset Davidi Deus de successione perpetua super sedem Davidis: Si enim Christus interiisset, aut in sepulchro vidisset cor-

corruptionem, juramentum divinum passum fuisset jacturam. Sed hoc absurdum est. Ergo Christus non potuit interire, aut pati corruptionem. Ex eodem fonte petitum est, quod dictum Psalmi 110. vers. 1. de sessione ad dexteram adducit: Sedere enim ad dexteram Patris seu exaltari & non resurgere à mortuis sunt ἀσύστατα, nec simul esse possunt: Christus debet exaltari, & sedere ad dexteram Patris: Ergo non potest non resurgere à mortuis.

Tertio adducit historiam Davidis & præsentaneam experientiam, cum qua hæc verba si de Davide sumantur, pugnant: inquit enim: *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam & defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos usque in hodiernum diem:* vult dicere, quotidiana experientia & αὐτοψίᾳ convincimur, sepulchrum Davidis intus fœtere & cariem absumsisse tum carnem tum ossa prophetæ, nec quicquã restare nisi pulverem. At verò de quo David loquitur, ei⁹ caro non videbit corruptionem: Ergo si verbis Davidicis constare debet sua veritas, non possunt ea de Davide accipi. De quonam igitur? *De Iesu Christo, quem resuscitavit Deus, cuius nos omnes testes sumus.* Atque sic hactenus demonstravit Petrus hunc textum non, nisi de Christo loqui. Huic astipulatur divus apostolus Paulus suo suffragio, concionem.

nem habens in ſchola Antiochena Actorum 13.v.33. Ibi enim inter cætera tria adducit argumenta ſeu teſtimonia veteris Scripturæ, quibus probat Evangelium annunciare non niſi promiſſiones factas ad Patres de Chriſto reſuſcitato ex mortuis. Primum teſtimonium petitur ex Pſalmo 2. quod quomodo reſurrectionem carnis Chriſti convincat, Patres eleganter ex inhabitatione τȣ̃ λόγȣ in carne Chriſti demonſtrant. Secundum teſtimonium ex 55. cap. Eſaiæ eſt ſumtum. Tertium hoc huius Pſalmi eſt: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Hinc igitur integro ſyllogiſmo ſubſumit Paulus: David cum adminiſtraſſet voluntati Dei, dormivit & appoſitus eſt ad Patres ſuos & vidit corruptionem. Quem vero Deus ſuſcitavit à mortuis, non vidit corruptionem. Subintelligitur concluſio: Ergo David non eſt iſte ſanctus, de quo ibidem loquitur, ſed Meſſias. Quæ teſtimonia ſunt evidentia & luculenta, ut non tantum Judaizantium, ſed & Judæorum os facile obturare poſſint. Nam quod Pſalmus de Davide tantum intelligendus ſit, Judaicum eſt: Quod allegata à Petro & Paulo verba partim de Davide, partim de Chriſto reductivè accipienda ſint, Judaizantis Calvini opinio eſt, quæ verbis apoſtolorum ἀντιφατικῶς, h.e. contradictoriè repugnat.

Et

Et ne cum Calvino nobis amplius agendum sit, opponemus ei assectarum suorum testimonia, qui sunt Petrus Martyr & Franciscus Junius. Sic enim Martyr in caput 15. 1. ad Corinth. *Si quando resistant his testimonijs, quæ Christus & apostoli pro his articulis confirmandis adducunt, non multum moveamur. Quia dubitandum non est, apostolos & Christum imprimis secutos esse vulgatas & receptas expositiones à Patribus. Nam ea loca ita receptum erat eo tempore de Messia intelligere, ut qui aderant, ea salvo pudore & conscientia negare non potuerint. Ideo non legimus in Evangelijs eos reclamasse, quod scripturæ quæ adducebantur, de Messia non essent intelligendæ: sed potius ita videmus oppilatum os illis fuisse, ut non habuerint quod responderent: at nunc quando inter hebræos illæ receptæ expositiones desierunt, illis non videntur commenta deesse, Itaque nos cum audiverimus Christum aut apostolos interpretatos aliquem locum, illis indubitato fidem habeamus.* Et Junius in Parallelis suis super hunc locum ait: *Malumus his rebus omnibus expensis Davidis verba cum Petro intelligere, quam alienis verbis à Davide & Petri mente & à testimonio Spiritus sancti aberrare.* Sic illi.

His ergò præsuppositis, ad ipsam totius Psalmi explicationem descendemus, quem in duas partes dividemus.

Prima erit oratio Christi de conservatione sui

ne sui in morte & passione, & aversatione eorum, qui aliam viam salutis quærunt.

Secunda gratiarum actio, de læta Catastrophe passionis Christi, nempe glorioſa e sepulchro resurrectione & ascensione in gloriam Dei patris æternam : quæ pars quinque versiculis posterioribus continetur.

PARAPHRASIS PRIMÆ PARTIS.

Aureum Clinodium Davidis] Dauid hunc Psalmum *Clinodium* appellat à materia seu contentis in hoc Psalmo : Elucent enim ex illo tres præcipuæ gemmulæ admodum precioſæ, quas hic Psalmus comprehendit. Fulget enim primum Rubino rubentis ac roſei sanguinis Domini nostri Iesu Christi, dum de periculis passionis & mortis ipsius canit Psalmista. Deinde splendet viridi Smaragdo revirescentis & reviviscentis ejusdē salvatoris nostri, qui in sepulchro nō mansit, sed uti granum tritici immarcessibili virore & vigore resurrexit à mortuis. Deniq; Adamante insuperabilis claritatis & majestatis præmicat, qui non tantū ex mortuis resurrexit, sed & ad dexteram Dei patris suam carnem extulit, ubi abundantia gaudiorū est & delectationes in finem. Omni igitur jure hic Psalmus *aureum Clinodium* à Davide appellatur. Sequitur Psalmus ipse.

Con-

Conserva seu *custodi me Domine.*] Omnis lamentatio præsupponit dolorem: Commiseratio ærumnam. Sic precatio pro conservatione sui agnitionem periculi, multarumq; adversitatum præsupponit & præconcipit. Dum igitur filius Dei ad æternum patrem suum orat pro conservatione sui, agnoscit & sentit imminere sibi gravissima pericula, in quibus custodem hominum, Deum, (quem sic Ioan. appellat cap. 6. v. 20.) implorat in auxilium. Quod autem hoc loco vocabulo conservationis & custodiæ orat, id apud Ioannem nomine *clarificationis* exigit. Nimirum imminebat filio Dei nox horribilis passionis, caligo & vmbra mortis instantis, quam transire debebat, sustinendo terribilem fumum furoris, è facie Patris contra peccata generis humani exardescentis. *Pater* enim *posuerat tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius*, ut est in Psalmo 18. v. 12. Et ut Ieremias in Threnis cap. 3. v. 44. *Opposuerat nubem sibi, ne penetraret oratio.* Hac tam tenebrosa & horribili facie Patris filius Dei percitus, in impendentibus mortis umbris hærens, petit clarificationem, custodiam, conservationem, quo superare sensum passionis suæ tàm internæ quàm externæ, & tandem lætus ovare possit, inquiens: Mi pater, mi Domine, cuius filius ego nunc servus sum, pro servili exinanitionis

Ioh. 17. 5

meæ

meæ forma: tu mihi sis custos, dux, comes, conserva me contra diaboli insultantis hostium q; omniũ impetus, nẽ succumbã in gravissimo passionis & mortis meæ agone. Tristis enim est anima mea usque ad mortem, ne derelinquas me Domine.

Propositioni huic subjungit tres rationes, seu ut vulgus loquitur, motivas, propter quas se exaudiri postulat:

Prima προηγυμένη est, cum inquit: *Quoniam speravi in te.*

Secunda προκαταρκτική: in angustias has redigor propter te & officium meum quo hac vice fungor.

Tertia à fine est, quia patior propter sanctos.

Primam rationem, quod attinet, dices, quid hoc quæso causæ esse potest exauditionis fiduciam & spem apud Deum interponere, & eatenus exauditionem petere? Sed multum hæc ratio ponderis habet apud Deum, quocirca etiam in frequentissimo apud sanctos est usu, qui subinde orant, miserere mei, exaudi me, quoniam speravi in te, quoniam in te confidit anima mea. Quibus & similibus formulis tria Deo tribuunt, propter quæ non potest nõ preces exaudire. Primo enim hac voce omnipotentiam Deo assignant, quod possit juvare: Deinde bonitatem voluntatis, quod velit.

Deni-

Denique veritatem promissionis, quod teneatur. Quæ singula, cum in Deo sint essentialia, medullam cordis Dei attingit, qui sic orat. Qua spe & fiducia Christus itidem æterni Patris sui animum ad exauditionem percellere cupit. Ait ergo: *In te speravi,* & quid hoc sit uberiori ἐξηγήσει explicat; *Dixi, Deus meus es tu*: hoc enim qui dicit corde non simulato, nihil aliud agit, quam ut infirmitatem suam agnoscat, & ob id omnem spem in solum Deum collocet.

Altera ratio est, qua se exaudiri petit, hęc: *Quoniam propter te patior.* Sic enim cum Lutherο legimus: *non est mihi benè propter te.* Vult dicere, fungor hoc tempore officio Messiæ, quod in cruce & passione consistit. In quod officium nulla me temeritate ingessi, sed ex consilio, suggestione, decreto & missione tua id suscepi, quam eandem rationem Ioannis 17. v. 4. sic exprimit: *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem.* Es igitur, mi Pater, particeps huius meæ passionis, quæ ex te provenit, & in te redundat, cum mihi non bene sit propter te, tuumq; jussum, propterq; nomen tuum hoc patiar.

Sequitur tertia ratio, quæ sicut antecedens respectu Dei erat, ita hæc respectu hominum (*pro sanctis, qui sunt in terra*) Patior hoc certo ac salutari fine, inquit Christus, nempe

pro sanctis & pro nobilibus, admirabilibus, præstantibus, in quibus beneplacitum est mihi. Duo hæc epitheta habet, quibus fideles in his terris nominat, sanctos & admirabiles. Brentius omnium optimè legit nobiles, ab *Adar*, quod significat *excelluit*, *nobilis fuit*, ex quo ultima litera in l. mutata, habes germanicum nostrum Adel. Nominat autem filius DEI hoc loco *sanctos & nobiles* Ecclesiam seu fideles & credentes, qui sibi vera fide meritum passionis & mortis Christi applicant. Nam quod de nulla innata sanctitate accipiendum sit, etiam Ioannis 17. capite sæpe jam citato exponitur vers. 19. *Ego pro eis sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Qua sanctitate verè coram Deo excellunt & nobilitantur omnes fideles, ad quos filius DEI voluntate sua omni propendet, & in quibus beneplacitum est ipsi, uti hic loquitur. Quod autem sanctos dicit qui sunt in terra, fit ad describendam conditionem eorum quam habent, dum nondum sunt translati ad triumphantem Ecclesiam. Qui etsi sint in terra, non tamen sunt de hac terra, sicut Ioannis 17. vers. 16. inquit: *Non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.* ¶ Quæstio autem suboritur ex his verbis, an, cum filius DEI se pati dicat pro sanctis & nobi-

nobilibus, passionis meritum particulare sit, & ad quosdam duntaxat restringendum? Sed responsio certa & tota mente tenenda est hæc, quod nuspiam in his verbis legatur exclusiva particula tantum. Non enim sequitur, Christus patitur pro sanctis & nobilibus, ergo tantum pro illis. Nam cur hic sanctorum tantum faciat mentionem, id ex sequentibus verbis patet, in illis enim de contemtoribus suæ passionis loquitur, quibus hoc opponit, nimirum, qui non patiantur se sanctificari sanctificatione meriti CHRISTI, non quod infideles excludantur ex intentione passionis Dominicæ (ut Calviniani volunt) sed ex usurpatione & applicatione salutari, idque non DEI injuria, sed propria petulantia. Sicut Ioan. 1. cap. 2. ver. 2. præmittit initio sanctos, subijcit infideles in mundo, non excludit, inquiens: *Ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Pari modo hæc quoque verba accipienda sunt, cum quibus si conferuntur illa Iohan. 17. vers. 9. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo*, responsio erit facilior, cum & ibi de salutari applicatione & efficacia intercessionis suæ loquatur CHRISTVS: Sicuti prolixius in explicatione illius capitis diximus. Atque

vera jam consequitur distinctio infidelium à fidelibus, credentium à non credentibus.

Multiplicatæ sunt infirmitates] Lutherus ex fontibus, quem sequimur, sic rectius legit & intelligit: *illi autem, qui alium sequuntur, multiplicabunt dolores sibi.*

Non libabo libamina eorum de sanguine, nec nomen eorũ usurpabo, aut meminero labijs meis.] Quibus verbis querulatur Messias, futuros esse, proh dolor, contemtores sui, propter quos etsi & ipse patiatur, non tamen salutariter usurpaturos & accepturos oblatum hoc beneficium; imò potius alium secuturos, eligendo & somniando sibi Messiam, qui Messias non sit, quem politica & mundana potestate regnare velint: in cuius gratiam fingent sibi novos cultus, nova placita, novos ritus, novas interpretationes Scripturæ propheticæ, infinitas superstitiones & ἐθελοθρησκείας, quibus putabunt, se Deo bellè litare & placere posse. Atque ita his ipsis verbis vaticinatur simul filius Dei de contemtu Judæorum, qui spernunt suum Messiam, & alienum seu fictitium quendam etiamnum sibi somniant & expectant. Quorum vestigia secuti sunt hæretici omnes, qui postea in duo cornua divisi, confluxere in diversas sententias, illam orientalem; hanc occidentalem: ex illa Antichristus Mahometanus, ex hac Romanus prodiit.

Uter-

Uterq; sectantur alium, & sua libamina, quæ sibiipsi pinsunt, fingunt, immolant, quibus se DEVM placare opinantur, sed frustra. Simul autem vaticinatur quoque de pœnis horum contemtorum, addens: *Multiplicabunt dolores sibi*; Prima hæc pœna est. *Non libabo libamina eorum*; Hæc secunda pœna est. *Nominum ipsorum non ero memor*; hæc tertia. O quam intolerabiles pœnæ, ipsaque morte crudeliores, quarum una fuerit plus satis. Nam primò certum est contemtum passionis Christi sequi gravissimas conscientiarum carnificinas in impiis, qui non habent ob id, in quo pedem figant & quiescant, sed nunc hos nunc illos angulos perrepunt, nec ullum tamen contra animæ suæ peccatum inveniunt solatium. Deinde, quod dicit: *Non libabo libamina eorum*: Per speciem intelligit genus. Vocabulo enim *libaminis* comprehendit totum cultum, quem præstant: religionem, devotionem, ceremonias, sacrificia, preces & quæcunque illæ sunt cultuum partes, quæ omnia Christus non unius æstimabit pili. Tertiò per oblivionem nominum ipsorum describit deletionem ex libro vitæ, abjectionem finalem & æternam damnationem.

Dominus pars hæreditatis meæ.] Vaticinatus est Christus hactenus de contemtoribus mortis suæ seu infidelibus, quibus jam ex adverso

opponit eos, apud quos passio Christi multum factura est fructum. Etsi enim maxima pars mundi spretura est Christum, Dominus tamen collecturus est partem quandam ex mundo in hæreditatem filio suo, hoc est, ecclesiam, quæ est *pars hæreditatis Christi*, & *pars calicis*, seu *demensum*, vel *portio ipsius*. Cum enim daturus sanè esset æternus pater omnes gentes in hæreditatem Christo, & multi seipsos exhæredes facerent, cedit tamen nihilominus ipsi certa quædam portio & hæreditas, nec enim potuit Christus esse sine peculio. Cœlestis igitur pater sustentat hanc sortem filio suo. Quod idem aliis verbis effert: *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Per *funes* hic intelligit normam mensurandi, sicut hodie perticis utimur, quibus termini agrorum definiri & constitui solent. Et est Metonymia signi pro re signata, mensuræ pro re mensurata ac definita. Laudat igitur & commendat filius Dei demensum suum, quod licet id in comparatione ad totum mundum exiguum sit, tamen præstantia sua exilitatem compensat. Non enim commendamus agros tantum ab amplitudine, quin potius respicimus fœcunditatem & præstantiam. Etsi igitur Ecclesia tenuis sit portio hæreditatis Christi, est tamen præclara portio & præclara hæreditas.

Psal. 16. 6.

Loci

LOCI COMMVNES.

I.

PSalmi huius Epigraphe tam illustris commendat nobis præstantiam & dignitatem sacræ scripturæ, quæ aureum Clinodium & Amuletum nobis esse debet, non quod de collo aut de veste, ut Pharisæi phylacteria & fimbrias suas, Matthei 23. v. 5. vel ut superstitiosi monachi, magi, olim Euangelium Ioannis suspendebant, sed quod de corde suspendamus, & intus nobiscum circumgestemus, imò quod amemus super aurum purissimum, sicut David suo nos docet exemplo Psalmo 119. vers. 127. Ideo dilexi mandata super aurum & topazium; Inprimis verò præstantissimam & saluberrimam hanc de Christi passione, morte, sepultura, resurrectione doctrinam tanti faciamus, quanti faciendum est id, in quo unica nostra salus & vita consistit. Hæc enim est illa preciosa margarita, pro qua vendenda sunt omnia, ut ematur illa, Matthæi 13. vers. 46. Quod qui fecerit, thesaurizabit sibi thesaurum in cœlo, quem nec ærugo, nec tinea demolietur, nec fures effodient aut furabuntur, Matthei. 6. vers. 20.

II.

Cum Christi actio nostra sit institutio, docemur hoc precandi actu, non tantum tunc orandum ad Deum, cum in mediis periculorũ fluctibus versamur, sed tunc etiam, cum imminere nobis pericula videmus & timemus, vel ut effugiamus & declinemus planè illa, vel ut tolerabilius & constantius feramus. Preces enim armant animum, ut oneri sit ferundo, & ne facile succumbat. Si ergo filius Dei imminente periculo hoc remedio prophylactico usus est, quid non faciamus nos alij?

III.

Docemur etiam hic, quomodo formanda & instituenda sit precatio. Primò enim, non nisi ad Deum dirigenda est, ne cum Saule ad veneficam 1. Samuel. 28. v. 8. vel cum Ahasia ad Baalzebum 2. Reg. 1. vers. 2. confugiamus. Idem judicium est de sanctis, à quibus subsidium petendum non est. Deinde constituto verò precum objecto de formalitate earundem hic quoque docemur: Ut enim Christus æterno Patri suo objecit intuitum spei & fiduciæ suæ, ita & nos indubitata spe & fiducia accedamus ad eum, quam fiduciam Epistola ad Hebræos 4. v. 16. παῤῥησίαν, & Hebr. 6. v. 19. ἄγκυραν anchoram animæ nostræ appellavit, à qua si excidamus, naufragium faciemus, qui

qui enim hæsitat, non existimet, se aliquid impetraturum, Iacob. 1. v. 6. Quæ fiducia ut eò sit certior, fulcienda est tribus columnis, quarum prima est omnipotentiæ divinæ consideratio, secunda veritatis, tertia promissionis: Prima quod possit, secunda quod velit, tertia quod teneatur; id quod omnes sancti semper habuerunt in usu, teste Christo Psalm. 22. v. 5. *In te speraverunt Patres nostri, speraverunt & liberavisti eos.* Præterea studiosè annitatur qui orat, ut cum Christo officii sui rationem Deo obvertere possit. Qui enim officii sui causa in pericula incidit, sic Deum affari potest: *Patior Domine propter te*, quapropter erit is animosior. Denique in precatione causam finalem periculorum suorum, quæ narrat, respicit: ut enim passionis Dominicæ finis ἀνακάλυψις pro peccatis mundi erat, ita nostræ passionis finis est vel δοκιμασία vel ὑμνεῖα vel μαρτύριον. Interim vero semper collimemus ad finem ultimum, qui est gloria Dei, quæ etiam cruce nostra amplificatur & celebratur, sic enim Paulus 2. Corinth. 4. v. 8. *In omnibus tribulationem patimur, angustiamur, persecutionem patimur, humiliamur, dejicimur, semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, & ut vita manifestetur in corporibus nostris.* Atque si sic precationes nostræ ad exemplar orationis Christi conformatæ sint, dubium non est,

quin Deo gratæ & acceptæ sint futuræ, propter eum, qui prælucet nobis exemplo & præcedit opere, quique ipsa nostra libat libamina, & æterno Patri suo offert, quæcunque vota nos Deo præstamus.

IIII.

Non tantum precatione & passione Christi utamur paradigmatice, sed potius hilastice. Nam quod Christus in passione sua, quam sustinuit, tam ardenter oravit, id non tàm pro seipso quàm nostri causa (passus enim est nostri causa) fecit. Quæ meditatio erit nobis suavior, si consideremus, non sua sponte aut temeritate quadam se filium Dei ingessisse in hoc officium patiendi, sed factum hoc deliberato æterni Patris, imò totius trinitatis decreto, ut ipse inquit: *Non est mihi bene propter te.* Unde & Petrus dicit Actorum 2. v. 23. Judæos interemisse Christum traditum *definito consilio & præscientia*, & ibidem cap. 4. v. 28. dicit fecisse, *quæ manus & consilium Dei decreverunt.* Ubi tres habemus voculas probè notandas: Præscientiam, consilium, manum Dei. *Præscientia* designat, quod nulla pars passionis Christi DEVM patrem latuerit ab æterno. *Consilium* respicit finem passionis, nempe salutem generis humani. *Manus* potentiam Dei denotat, qua non tantum filium eripere, sed & ex hoc scelerato Judæorum facinore elice-

elicere potuit aliquid boni. Unde & Deus Pater dediſſe filium ſuum mundo: Ioan. 3. v. 16. imo & tradidiſſe, nec peperciſſe pro nobis omnibus Rom. 8. v. 32. dicitur. Non ergo paſſionem Chriſti putemus opus fuiſſe vel obitaneum, vel fortuitum, vel tumultuarium, ſed decretum, ſed circumſcriptum, ſed limitatum conſilio ſacroſanctæ Triados. Quod peccatori ſalutariter meditanti paſſionem Domini ſic ad animum revocandum eſt, ut in illo omnem ſalutis ſuæ ſpem & cauſam collocet & firmet.

V.

Multos parvifacturos & eluſuros eſſe decretum tàm ſalutare Dei Patris de filio paſſo & jam hic prævidet & vaticinatur non ſine animi dolore Chriſtus, quod auxiſſe ipſi cruciatus ſuos dubium eſt nullum, futuros enim ait, *qui ſecuturi ſint alium.* Quod Ioannes factum fuiſſe teſtatur Ioan. 1. v. 3. *Mundus non cognovit, in propria venit, & ſui non receperunt eum. Secuti autem ſunt alium*, hoc eſt, finxerunt ſibi alios Chriſtos, quos antichriſtos appellamus. Ex quorum numero fuerunt Teudas, Judas Galilæus, quorum meminit Gamaliel Actor. 5. v. 36. Item Bencochab, qui anno 16. Hadriani clade funeſta periit. Talis item erat PſeudoMoyſes quidam, qui tempore Theodoſii Judæos per mare Cretenſe ducere ſicco pede jactita-

jactitavit, non sine magna multorum Judæorum submersione. Socrates lib. 3. cap. 38. Talis erat tempore Justini Dunais & infiniti alii. Quid multis? etiamnum hodie Judæi Iesum Christum Dominum nostrum maleficum & præstigiatorem blasphemant, & ei per singulos dies, mane sc. meridie & vesperi sub nomine Nazarenorum maledicunt in synagogis, ut se non hunc, sed alium sectari & expectare testentur, cuius in extremum insuper contemtum diabolico plane furore olim inter ludicra sua ex erecta cruce ad formam crucifixionis Dominicæ misellum puerum Christianum suspensum male tractarunt, donec expiraret, ut Socrates lib. 3. cap. 16. meminit. Quod simili, si non atrociori blasphemia etiam Mahometani Turcæ imitati sunt, qui tempore captæ Constantinopoleos crucem Christi non tantum cæno prostraverunt: sed & in contemtum eiusdem fe-
lem cruci affixum luto conjecerunt & conspurcarunt. Ah ah, nonne id est præ Christo alium sequi? Neque hoc duntaxat manifesto blasphemiæ modo alium præ Christo sequuntur contemtores, sed & interim, dum superstitiosos sibi cultus vel Judaismi vel Paganismi, vel Alcoranismi ultrò fingunt & excogitant, nihil aliud agunt, quam ut alium sequantur. Hac enim ratione multiplicant sibi idola

sua

sua (siquidem omnis cultus & cogitatio sine verbo Dei idolum sit) & fingunt Deum, qui Deus non est, & cultum, qui cultus non est. Ad quam classem etiam Antichristus Romanus referendus est, qui extra Christum sibi non mediatorem alium, sed mediatores alios infinitos, cum variis superstitionibus partim ex Judaismo, partim ex Paganismo inter se mixtis somniat & multiplicat: imò verò extollit se supra Christū. Idem faciunt & omnes hæretici, qui hunc solum Christum, vel non ratione personæ, vel non ratione officii rectè agnoscunt, & præ Christo suas hæreticas opiniones sequuntur. Unde apparet, non esse parvum quendam gregem, sed immensum agmen eorum, qui Christum vel negligunt, vel negant, vel contemnunt, vel blasphemant, vel nesciunt: Ut semper Ecclesia malignantium & loco & personis & potentia soleat esse amplior, quod ex hoc vaticinio Christi, qui idipsum longè ante prævidit futurum, ne offendamur, probè observandum est.

VI.

Utut autem contemnentium Filium Dei pars fuerit maxima, non tamen extinguetur & peribit ob id vera Ecclesia, agnoscens, magnifaciens & applicans sibi vera fide meritū & mortem passionis Iesu Christi, quæ, qualis

&

& quanta futura sit tum comparatione ad infideles, tum relatione ad Deum hic eleganter depingit. Cœtus fidelium si cum infidelibus conferatur, dicitur *pars*, dicitur *hæreditas* & *funiculum*. Quæ autem analogia est *partis* ad totum, *hæreditatis* ad totius mundi talenta, *funiculorum* ad amplitudinem totius campi vel provinciæ, ea ratione quantitatis proportio est fidelium ad infideles. Quapropter & pusillus grex dicitur Lucæ 12. v. 32. Ratione Relationis autem ad Deum longè antefertur cœtus piorum infidelibus. Quocirca etiam honorificentissimis hic appellatur titulis & nominibus, quæ ad declarandam qualitatem dignitatis Ecclesiæ veræ multum faciunt. Primò enim *Sancti* dicuntur, qui sunt in terra. Sanctificantur enim per Christum ipsum, qui nobis factus est à Deo justitia & sanctificatio. 1. Corinth. 1. ver. 29. Deinde dicuntur *nobiles Dei*, videlicet à Deo in tantum nobilitati & exaltati, ut non equites aurati, sed filii Dei vocentur, quam nobilitatem non potest satis superq; mirari Ioan. 1. cap. 3. v. 1. Præterea *pars hæreditatis Christi* dicuntur, in cuius cedunt peculium, possessionem & usum, cuius nos populi acquisitionis appellamur 1. Pet. 2. vers. 9. Porro *pars calicis* seu *demensum* Christi dicuntur, quod sibi summo jure deberi exigit Christus ipse. In summa Ecclesiæ sunt *funes in præclaris*

claris apud Deum. Estq; Ecclesia talis hæreditas, quæ Christo præclara, perchara, jucunda & accepta habetur, ad quam toto se animo propendere ipse testatur. Quæ dignitas & majestas Ecclesiæ tanta est, ut animo concipi nequeat, nedum linguis efferri. Itaque summè cuivis enitendum est, ut non mensuret cætum Dei verum à populositate externa, sed ab interna dignitate & magnificentia, qua coram Deo illustris est.

VII.

Differentia veræ & falsæ ecclesiæ consistit in conventiculis, non in libaminibus, sacrificiis aut eius generis pomposis ceremoniis aliis. Habent enim & impii synagogas, conventicula, cætus: habentq; & illi sua libamina, quibus multum sunt operosi, & multiplicant idola sua, suasq; ceremonias, quibus admodum sunt conspicui, & in iis maximè videri volunt, ut Pharisæi, qui amplificabant φυλακτήρια sua, qui multum sacrificabant, multum jeiunabant, & battologicè orabant, & nihil non faciebant, quod ad operosam ceremoniarum gesticulationem & τὸ φαίνεσθαι conducere videbatur: Quos ad unguem hodie imitantur ceremoniosi Pontificii. Igitur in illis exoticis rebus notæ & discrimina veræ & falsæ Ecclesiæ ponenda non sunt, sed in agnitione & applicatione sanguinis & meriti Domini no-

ni nostri Iesu Christi per fidem. *Hæc enim est vita æterna, ut agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, Ioan. 17. v. 3.

VIII.

Ἁμαρτία maximum peccatum est hominum, sicut è contra dignissimum solius Dei opus est credere in filiũ, Christo ipso teste Ioa. 6. v. 29. Qua de causa ἁμαρτίαν Christus etiã κατ' ἐξοχὴν peccatũ appellat, quod accusaturus sit Spiritus sanctus Ioa. 16. v. 9. cuius peccati atrocitas ex atrocitate pœnarũ hic etiam considerandæ venit. Tres enim pœnæ assignantur, quæ venturæ sint in eos, qui in incredulitate persistunt: Prima pœna est dolor, quem sibiipsis accersent, qui maximè dolor & carnificina inquietæ conscientiæ erit, quæ non potest nõ esse gravis iis, quorum conscientia non est ob agnitionem peccati per meritum Christi reddita tranquillior. Ut enim justificati per fidem in sanguine Iesu Christi pacem habent Rom. 5. v. ita contra non justificatos seu non credentes in perpetuis cruciatibus dubitationum & terrorum affligi necesse est. Quibus cruciatibus nullum aliud vulnus acerbius est & vehementius, sicut Ambrosius lib. 5. Epist. 18. loquitur: *Nullus maior dolor est, quam is, qui peccati mucrone conscientiam vulnerat.* Altera pœna est reprobatio omnium cultuum quorumcunque, quibus infideles se Deo placere posse

posse putant. Non exaudiuntur preces eorum apud Deum, frustra clamant, frustra sacrificant, Matth. 15. v. 9. *Quicquid enim non ex fide est, peccatum est.* Et *impossibile sine fide placere Deo est.* Hebr. 11. v. 6. Quapropter etiam Psalmo 109. v. 7. dicitur: *Oratio eorum fiet in peccatum.* Certum enim est, quod deficiente vel absente fide omnia opera infidelium, quantumvis bona & præclara suo genere, in peccata Deo inaccepta degenerent. E contrario autem fide præsente & vigente, omnia peccata reguntur & remittuntur. Sine qua remissione cum fuerint & sint infideles, quomodo quęso libamina eorum Deo placeant & accepta sint? Ultima pœna ut extrema, ita extremè gravissima est, æterna & finalis abiectio. *Nomen enim infidelium ex libro vitæ delebitur, & non inscribentur cum iustis,* Psalm. 69. v. 29. Cum autem infideles nomen Christi non dignati sint in os sumere, non dignabitur vicissim illos Christus ut coram æterno Patre suo nomen ipsorum in os sumat: Quin aduturi sint horrendam illam vocem: *non novi vos, discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem,* Matth. 7. v. 23. Quæ pœnæ impiorum, ut accendere in nobis debent & excitare lucem fidei, ita infidelibus debent esse terrori desistendi ab infidelitate sua & credendi Evangelio.

IX.

Abusus etiam hic Monachorum taxandus est, qui pro symbolo se habere jactitant, *Dominus pars hæreditatis meæ*. Præterquam enim, quod interpretatio hęc à contextu aliena est, non est illis superstitiosis & ociosis hominibus Dominus pars hæreditatis, sed venter, illis pars hæreditatis est, cui in summo ocio sacrificant, quemque excolunt: atque in inexhaustis cœnobiorum reditibus annuis, hæreditatis suæ partem ponunt, quapropter nihil minus, quam hoc symbolum usurpare possunt. Pii autem quicunque, quoties in persecutione jacturam vel bonorum vel vitæ facere cogentur, hoc symbolo sic utentur, ut cogitent, seipsos esse partem hæreditatis Christi, qui cohæredes futuri sint vitæ æternæ: Deinde Dominum esse partem hereditatis nostræ, & mercedem nostram copiosam valde esse in cœlis, quæ restituenda sit in extremo die, qui ob id quoque dies restitutionis omnium dicitur, Actor. 3. v. 19.

ALTERA PARS.

PARAPHRASIS.

Benedicam, seu *laudabo Dominum*] Sequitur pars altera, quæ sicuti prior fuit supplicatio, ita hæc elogium est & gratiarum actio, pro exaudi-

exauditione, liberatione, tandemq; lætissimo exitu & καταστροφῇ totius suæ passionis. Sunt autem tria beneficiorum divinorum capita, pro quibus Patri suo gratias agit immortales Christus: Primum caput continet τὰ προηγούμενα, beneficia præcedentia mortem Christi. Secundum continet τὰ μέσα, ea quæ in media morte Christo contigerunt. Tertium caput τὰ ἑπόμενα, ea quæ consecuta sunt mortem. De primo beneficiorum capite sic ait: *Benedicam Dominum, qui consuluit mihi, insuper & noctu erudierunt me renes mei: Ponebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear.* In his verbis decantat hoc beneficium, quod inter immensos passionis suæ cruciatus non sit commotus, hoc est, quod non vacillarit, vel ut Esaiæ. 50. v. 5. dicitur, quod *non ierit retrorsum*, quod non conciderit, vel desperarit inter tantas, tamque horrendas lacerationes tum corporis tum animi. Nam ne commoverer & perirem, inquit, consuluit mihi Dominus, dedit mihi salutare consiliũ, & consolatione sua mihi affulsit, idque tam externis revelationibus, quam internis inspirationibus. Externis revelationibus æternus Pater affulsit filio suo, cum Luc. 9. vers. 31. affulsit filio suo per Eliam & Moysen, atque institui juberet colloquium de exitu ipsius. Et in ipso agone, quem in horto sustinuit, ange-

lus affulsit consolatione sua Christo. Præter quas externas revelationes, internas quoque inspirationes & suggestiones infinitis modis filium Dei habuisse statuendum est, in quibus consilium & solatium ab æterno Patre suo luculenter impetravit. Quo nomine ipsi jam magnas solvit grates. Addit: *noctu erudierunt me renes mei*, hoc itidem non leve beneficium est, quo à patre suo affectus est. *Renes* in sacra lingua intimos affectus & motus animi denotant. Dicit ergò *renes mei*, id est, desideria & affectus omnes cordis mei erudierunt me, incitarunt & quasi præcipitem rapuerunt ponendi Dominum in conspectu meo, seu studiosè incumbendi in obædientiam & obsequium ipsius, adeò ut quicquid affectuum, motuum & desideriorum esset in me, id omne enixe collaboraret ad functionem mei officii, & obædientiæ Deo Patri meo præstandæ. Illud vult, quod dicit, *erudierunt me renes mei*:

¶ Ne opus sit prolixiori disceptatione, quam hic quidam movent, qui Hieronymi interpretationem sequuntur. Ille enim castigationem vel eruditionem renum in sinistram accipit partem, quasi idem sit ac pravas delectationes suggeri ad peccandum. Unde postea operosè dubitant, quomodo nam hic Psalmus de Christo (qui ἀναμάρτητος fuit) accipi queat? quod nodum in scirpo quærere est: tùm quod novum

novum non sit, Christo vitia nostra, quæ in se recepit, asscribi, tum quòd ipsa dictio facilè hoc dubiũ decidat, sive enim renes castigasse, sive erudiisse Christum dicas, sive increpasse, quomodo quæso hic de invitatione & incitatione ad peccandũ accipi queant? Delectationes enim, quæ alliciunt ad peccandũ non increpant hominẽ, non castigant, non erudiunt, sed suaviter abblandiuntur, titillant, atq; excutiunt plane omnem castigationẽ, increpationem, eruditionem. Quocirca Hieronymi interpretatio locum hic habere potest nullum. Et constat sententia, non in malam, sed in bonam partem castigationem hanc renum accipiendam, pro qua singulariter Deo gratias agit Christus. Eruditionis seu castigationis huius effectum sic explicat: *Posui Dominum in conspectu meo*: *Posui*, inquit, id est semper me huic totum dedi, illi firma περιαρέσει innixus sum, & statui illum Dominum meum. Tertium beneficium addit: *quoniam à dextris mihi est*. *A dextris esse* hebręa phrasi auxiliari est, & dextra potentiam significat. Cum igitur Christus se sustentatum esse dicit, eò quod Deus ei fuerit à dextra, id nihil aliud sonat, quam quod Esaiæ 63. v. 5. sic effert: *Salvavit me brachium meum*. Quibus verbis innuit ad divinam τῆ λόγυ potentiam, qua sustentatus est Christus, secundam humanã suam naturam,

ne in passione succumberet. Nisi enim verus Deus fuisset hæc persona, tantos cruciatus superare non potuisset. Ex quibus hactenus dictis breviter patet, beneficiorum illorum, quę præcedebant mortem Christi, hæc tria recenseri: Primum, consilium sibi à Patre suggestum. Secundò, spontaneos raptus renum & omnium affectuum ad obædiendum Patri. Tertiò, auxilium divinitatis præsentissimum. Quibus tribus adminiculis factum esse gloriatur, ne commotus fuerit in passionibus præcedentibus mortem suam.

Insuper & caro mea] His verbis designat alterum caput beneficiorum sibi collatorum, in medio ipsius mortis. *Caro mea*, inquit, *requiescet in spe*, id est, tutò. *Neque dabis sanctum tuum videre corruptionem*, id est, corrumpi. Quæ verba & de sepultura & de ἀφθαρσίᾳ seu incorruptibilitate carnis Christi loquuntur. Quia autem sepultura præsupponit mortem, complexè hic quoque mortis Christi fit mentio. In media igitur morte & sepultura hoc beneficii sibi contigisse commemorat Christus, ut etsi verè anima de corpore exierit, caro tamen & corpus ipsius tam tutò quieverit, ut ne quidem unius blattæ vel tineæ morsus reformidarit, aut ut ne quidem calor circumstans mixtionem quatuor elementarium qualitatum in corpore turbare, corrumpe-

re,

re, & putrefactionem seu corruptionem inducere potuerit. Quod certe tantum beneficium est, ut eo ipso carnem Christi supra omnem & communem totius generis humani sortem extollat & sejungat. Quapropter etiam addit particulam demonstrativam *meam*: quasi dicat, si vel maximè omnis omnium hominum & totius generis humani caro post mortem corrumpi debeat, & tutò quiescere non queat, mea tamen caro talis est, ut ἄφθαρτος sit, & ab hac communi sorte longè exemta sit. Quo eodem respectu addit: *nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Sum enim ego tuus sanctus, imò omnium sanctorum sanctissimus, qui tanta excello sanctitatis dignitate, ut caro mea corruptionem videre nec debeat, nec possit. Nam quod Lutherus accuratè observavit, nullibi de quoquam alio in singulari sic extat, sanctus tuus, quam de solo Christo. Atque in his voculis (*mea & sanctus tuus*) continetur causa, qui fiat, quod, cum omnis caro corruptibilis sit, sola tamen CHRISTI caro sit incorruptibilis? Dices enim hoc fieri propter personæ illius sanctitatem. 1 Primo, quia ὁ λόγος cuius hæc caro est, & à quo ὑπόστασιν habet, non tantum sanctus est, sed & ipsa est sanctitas. Fieri autem non potuit, ut personalis unio maneret salva, & interim corrumperetur,

vel putrescceret corpus. Nam ὁ λόγος quod semel assumsit, neque deserit, neque cum alio commutat. Si verò corpus Christi corruptum fuisset, si interiisset, si in vermes aut putredinem transiisset: necesse fuisset τὸν λόγον vel deserere corpus sibi semel unitum, vel cum alio commutare; quod æque absurdum & ἀδύνατον est. Atque ex hac personali sanctitate fit, ut sancti huius nempe Christi caro non computruerit. Deinde Christi caro sancta non potuit putrescere ratione communicationis Idiomatum, quæ, ut effectus, ad unionem consequitur. Sanctitas enim vivificationis attributæ carni Christi prohibuit corruptionem. Nam quod mortuus est, id peccato mortuus est semel: alias quoque de morte verum est, quod pulchrè Cyprianus oratione de cœna Domini inquit: *Christus non necessitate, sed obedientia se urgeri ad mortem, ostendit.* Tertio fecit idem effusio larga ipsius spiritus sancti; tanquã balsami & olei lęticiæ contributi in carnem Christi sine omni mensura. Sicut ergo balsamum servat corpora diuturna in sepulchro: ita balsamum ipsum Spiritus sancti infinitis modis effusum conservat carnem Christi sine corruptione in infinitum, idque præ consortibus suis. Denique sanctitas carnis Christi, carnem hanc sine corruptione servavit, quia omnis peccati & quidem ipsius radicis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767502272/phys_0204
DFG

dicis peccati expers fuit. Nam quod corpora noſtra putreſcunt, id fit ad extirpandam peccati radicem, quæ cum non inhęſerit carni Chriſti, non eguit quoque putrefactione. Atque ita multis plane modis caro Chriſti (ut demonſtratum eſt) libera & immunis fuit à corruptione, quapropter tutò & ſecure quievit, neque ullam poſt mortem ſenſit διάλυσιν, cariem & depravationem, quam patiuntur reliqua mortalium cadavera.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno, Notas mihi facis ſemitas vitæ. Abundantia gaudiorum eſt coram facie tua & delectationes in dextera tua in æternum.] Hactenus commemoravit Chriſtus beneficia ſibi præſtita primò ante mortem, deinde in ipſa morte & ſepulchro. Nunc ſubijcit τὰ ἐπόμενα, videlicet illa beneficia, quæ conſecuta ſunt mortem ipſius.

Non derelinques] His verbis glorioſum illum triumphum cum deſcenſu ad inferos habitum deſcribit: Chriſtus enim ad infernum uſque deſcendens, in inferno non derelictus eſt, ſed gloriosè reſurrexit, & exhibuit ſeſe victorem & triumphatorem ſupra mortem, diabolum & portas inferorum. Quod igitur de anima hic loquitur, id συνεχδοχικῶς de toto Chriſto accipiendum eſt, & quod de inferno, id non de ſepulchro, ſed de inferno propriè ſic dicto intelligendum eſt, explicante Petro

qui per vocabulum ᾅδης hebræum שְׁאוֹל *Scheol*, interpretatur. Nam etsi haud inviti largimur hoc vocabulum nonnunquam pro sepulchro accipi, tamen hæc significatio salva fidei analogia hoc loco admitti non potest, sed accipienda est pro inferno propriè sic dicto, prout etiam sumitur Esaiæ 5. v. 14. *Infernus dilatavit animam & os suum absque ullo termino, in quem descendunt fortes.* Et Oseæ 13. v. 14. *O inferne ero morsus tuus.* In qua significatione etiam sumitur Esaiæ 14. v. 15. Psalm. 49. v. 15. Prov. 5. v. 5. & infinitis locis aliis. Cum igitur constet de significatione vocabuli *Scheol*, quod infernum proprie sic dictum significet, rectè statuimus, articulum de descensu Christi ad inferos hic fundari.

Notas mihi facis] Descensū Christi ad inferos sequitur resurrectio ad vitam, in hebræo est חַיִּים *Chaÿm, vitarū*, exantlato enim mortis labore Christi præ se invenit multas semitas vitarū. Prima semita fuit, transitus à morte in vitam per viam resurrectionis. Secunda fuit transitus ad vitam, per viam ascensionis. Tertia per sessionem ad dexteram Patris. Quibus tribus quasi semitis transitum fecit Christus ad Patrem, de quo Ioan. 14. v. 3. & 16. v. 5. quod ibidem capite 17. uno *clarificationis* vocabulo comprehendit. Declaratur igitur his verbis

verbis beneficium resurrectionis, ascensionis & sessionis ad dexteram Patris. Pro quibus omnibus & singulis beneficiis æterno Patri suo gratias agit: Idq; non obiter aut frigidè, sed tanto ardore, ut propterea cor suum lætatum esse & gloriam seu linguam suam exultasse dicat. Denique subijcit tribus verbis, quæ sit conditio illius vitæ, cuius semitas sibi notas factas esse dixerat antea: Nimirum, nihil ibi nisi gaudia, lætitias atque ineffabiles esse delectationes, tàm coram vultu DEI, quàm in dextera ipsius, hoc est, tam respectu cognitionis sapientiæ divinæ, quam majestatis & potentiæ eius, idque non parce, sed cum abundantia: neque id modico tempore, sed in æternum.

LOCI COMMVNES.

I.

SI Christus filius Dei pro liberatione sibi præstita æterno Patri suo gratias agit, multo magis & nos tenemur pro beneficiis nobis oblatis gratias agere. Ille enim, filius nativus, nos adoptivi, ille Dominus, nos servi sumus. Quo jure etiam à nobis δίκαιος honorem exigit, Malach. 1. ver. 6. *Filius honorat Patrem suum, & servus Dominum suum: Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?*

si enim

Si enim ulla virtus erga Deum tùm honorem, tùm timorem ipsius includit, certe id εὐχαριστίαν facit. Tribuit enim, qui gratias agit Deo initium, medium & finem oblati beneficii & agnoscit, non potuisse aliunde id assequi, nisi à solo Deo. Quæ confessio nihil aliud est, quam honor Deo debitus. Timorem Dei habet, qui gratias agit, quia agnoscit Deum contributorem præstitorum beneficiorum, eumque tàm potentem esse, quam justum, ut nisi gratias agat, repetere possit & velit beneficia pristina & pœnis afficere ingratum. Sicut ergo oratione assidua petimus à Deo beneficia & acquirimus, ita gratiarum actione beneficia accepta retinemus, & conservamus, quod utrumque eiusdem est virtutis, juxta versum:

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Et utrumque fit ex divino mandato Psalm. 50. v. 15. *Invoca me in die tribulationis, & eripiam te, & honorificabis me.*

II.

Tres sunt piorum in omnibus periculis clypei spirituales, quorum hîc fit mentio: Primus est, consilium Dei habere compertũ in periculis. Secundus, sentire moderamen affectuum in corde. Tertius, cognoscere sibi Deum à dexteris auxiliatorem, qui ideo rectè clypei piorum dicuntur, quia summum periclitanti afferunt præsidium, & omnes faciunt susti-

sustinere impet⁹ & ægritudines. Nam si constitutus in periculis scit, quo Dei consilio & voluntate id fiat, is nihil habet, quod trepidet aut formidet. Consilium Dei semper optimũ est. Unde etiam Deus quoties excitavit heroas, per quos magna facinora edere voluit, notum fecit illis ante omnia suum consilium, jussum & voluntatem. Exempli gratia: Cum per Gedeonem vellet percutere Midianitas, non tantum verbis, sed & manifestis signis Gedeonem certiorem reddidit de sua voluntate, Iud. 6. v. 16. Quapropter etiam in more positum habebat populus Dei, interrogare Deum, de consilio & voluntate sua in actionibus arduis. Exemplo sunt nobis David 1. Sam. 23. ver. 2. item 2. Sam. 2. ver. 1. Iosaphat 1. Reg. 22. v. 8. & alii. Idque juxta mandatum Dei, qui hoc fieri jussit, Num. 27. v. 21. *Pro hoc, si quid agendum est, Eleasar consulet Dominum in iudicio Vrim.* Nostrarum actionum VRIM & judicium est verbum scriptum, ad quod omne nostrum consilium dirigendum est. Deinde succedit moderamen affectuum, ne prævaleant dolor de præsenti, metus de futuris, abjectio animi, collisio spei & timoris, diffidentia, amor rerum terrenarum, & si qui sunt affectus similes. Affectibus enim indulgere, afflictioni est afflictionem addere. Unde & Salomon inquit Prov. 16. v. 32. *Patiens melior est*

est viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Quapropter nota sit nobis virilis illa & Davidis constans moderatio, qua seipsum alter idem compescit; Psalm. 44. & 43. versib. ultimis. *Quare tristis es anima mea & quare conturbas me? Spera in* DEVM, *quoniam adhuc confitebor salutare vultus mei &* DEVS *meus.* His denique accedit tertium, agnoscere sibi DEVM à dexteris, ex qua agnitione in hanc vocem erupit David Psalm. 73. *Quid enim mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram? deficiat sane caro mea & cor meum,* DEVS *petra cordis mei & pars mea* DEVS *in æternum.* Et Paulus Roman. 8. vers. 31. *Si* DEVS *pro nobis, quis contra nos?* Hic est ille triplex clypeus piorum, quem ne abijciamus in periculis summopere cavendum est. Ut enim ῥιψάσπιδες olim infames reddebantur amisso clypeo, ita qui hunc clypeum abjecerint, in æternum pudefient.

III.

Ad obædientiam Deo præstandam impellere nos debent *renes nostri*, hoc est, omnes interiores, omniumque intimi cordis affectus. *Deus enim scrutatur corda & renes*, Psalm. 7. v. 10. Secus si fiat, obædientia nostra non cultus, sed hypocritica ὀφθαλμοδουλία. Quapropter etjam Deus obædientiam sibi debitam non frigidam aut superficialem exigit, sed quæ sit ex

tota

tota mente, ex tota anima, ex omnib⁹ viribus. Neque id interdiu tantum fieri debet, sed & noctu: ut Christus hoc loco inquit: *noctu erudierunt me renes mei.* Et Psalmista alibi Psal. 1. ver. 2. quod *beatus in lege Dei meditetur die ac nocte.* Quæ præcepta Dei, ut & exemplum Christi, ideo ob oculos ponenda sunt, ut collatis viribus nostris ad spiritualem ἀκρίβειαν legis, nostram imbecillitatem agnoscamus & deploremus, ne justiciaria Pharisæorum opinione inflati nosmetipsos coram Deo efferamus, sed ut cum Paulo dicamus Roman. 7. vers. 14. *Scimus, quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.*

IIII.

Articulos symboli Apostolici (qui sunt summa fidei Catholicæ) non natos esse Apostolis in bucca, sed ex ipsis Israëlis fontibus promanasse, maximam partem hic videmus. Quod enim profitemur Christum mortuum, sepultum, descendisse ad inferna, resurrexisse à mortuis, ascendisse ad cœlos, sedere ad dexteram Patris, idipsum ore Davidico Christus de seipso sic eloquitur his verbis: *Caro mea requiesçet in spe. Non derelinques animam meam in inferno. Nec dabis sanctum tuũ videre corruptionẽ. Notas mihi feciſti vias vitæ. Adimplebis me lætitia, &c.* Hisce enim verbis nihil aliud ait, quam

quam ut articulorum fidei nostræ catholicæ fundamenta collocet & confirmet. David ergo, per quem Spiritus Christi locutus est, quia confessor fidei catholicæ est, bonus Catholicus est, & eundé nobiscum Christũ, eundem Deũ, eandem fidé confitetur: Sicut enim *una tantum est vita æterna, ita & unus Deus, unus Spiritus, unum corpus, una spes, una ad vitam æterna via, vna fides est, per quã salvari credimus, quemadmodum & isti,* Ephes. 4. v. 5. Actor. 15. ver. 11. Et vice versa: Sicut David bonus catholicus est & Christianus, ita nos quoque *veri Israëlitæ sumus, non quod secundum carnem, sed quod filij eiusdem promissionis & fidei simus,* Roman. 9. vers. 8. Galat. 3. v. 7.

V.

Adoranda est caro Christi & infinitis honoribus afficienda, quæ propter unionem cum λόγῳ tanta pollet sanctitate, ut cum peccato mortua sit semel, amplius nec mori nec corrumpi possit; & ne quidem in sepulchro corrupta sit: Sicut nec ipsum Jonæ corpus à balena marina digeri aut consumi (quod supra omnem humani ingenii captum est) potuit: typum sic explicante Christo, Matth. 12. v. 40. Cum ergo Lazari aliorumque corpora videmus computruisse & fœtere, de radice peccati, ex carne nostra extirpanda, cogitemus. Qua absorpta speremus, nos per efficа-

ficaciam carnis Christi vitam & ἀφθαρσίαν recuperaturos esse. Quapropter sicut olim in Papatu temerè & stultè se cucullis monasticis investiri & sepeliri contra mortis morsus volebant: ita nos rectius fecerimus, si per baptismum & fidem induti in mortem ipsius consepeliamur, Rom. 6. ver. 3. Galat. 3. ver. 27. *Tunc enim qui complantati fuerimus similitudini mortis, simul & resurrectionis participes erimus*, Roman. 6. v. 4. Nam tantum abest, ut cuculli à morte nos liberare possint, & tueri, ut vel ipsi citius, quam humana cadavera putrescant, & cum cadaveribus planè redigantur in cineres: Christi autem caro, quia sancta & incorruptibilis est, sanctificat, vivificat & incorruptibiles reddit omnes eos, quos sibi vera fide insertos complectitur.

VI.

Præcipuum in hoc Psalmo testimonium est articuli de descensu Christi ad inferos, quod eò accuratius observandũ est, quo pauciora sunt in sacris testimonia hoc de articulo nobis revelata. Id quod ideò factum procul dubio est, quod inferni descriptio & triumphi de inferno processus, non ad huius terrenæ, sed alterius vitæ statum, quem capere nondum possumus, pertineat. Cum autem mentis humanæ procacitas vix ac ne vix quidem cancellis huius vitæ compesci possit, sed

ad ea, quæ Deus occulta esse voluit, avidius prorumpat, factum est, ut hic articulus multis subtilitatibus, quæstionibus & erroribus lancinatus & variè distractus sit quovis seculo. Marcion hæreticus de descensu Christi ad inferos miram texuit fabulam: dixit enim, Christo, cum descendisset ad inferos, occurrisse Cainum, Sodomitas & Ægyptios, & omnes omnino gentes, quæ in omni permixtione malignitatis ambulaverunt, atque ob id à Christo salvatas & in regnum cœlorum assumtas esse à Domino, facit autem suarum nugarum incrementum, dum addit: Abel, Enoch, Noah, & reliquos justos, & eos, qui sunt supra Abraham, Patriarchas, cum omnibus Prophetis & his qui placuerunt Deo, non participasse salutem, quoniam sciebant, inquit, Deum suum semper tentantem eos, & tunc tentare eum suspicati, non occurrerunt Iesu, neque crediderunt annunciationi eius, & ob id remansisse animas eorum apud inferos. Sic ille de descensu Christi nugatur, teste Irenæo lib. 1. cap. 29. Ab his nugis haud parum abludunt, quæ à Charino & Lentio sanctis ficticiis in pseudoevangelio Nicodemi (mihi tomo 3. Orthodoxographiæ pag. 653.) narrantur, quæ cum à Virgiliano Æneæ descensu non differant, ad fidem Poëticam remittimus. Quod ipsum si quoque Durandus, Aquinas & alii Schola-

Scholastici nobiscum feciſſent, minus nunc eſſet fabularum de Patrum limbo & hoc articulo. Miſſis igitur his propius ad rem facit, quod inter Cuſanum Cardinalem & Iacobum Stapulenſem virum clariſſimum ante annos centum in controverſiam venit: an Chriſtus ob id ad infernum deſcenderit, ut ibi novos cruciatus infernales pro animabus hominum ſuſtineret? Quæ quæſtio cum potiſſima ſit in qua cardo negocii volvitur, & noſtro ſeculo haud ſecus à quibuſdam Auguſtanæ confeſſionis Theologis defendi ceperit, rectè hoc loco venit nobis conſideranda. Quod ut eò melius fiat, placet nonnulla ex Apologia tam veteri quã erudita Stapulenſis illius huc afferre, ut appareat, nihil dictũ eſſe, quod non dictum ſit prius. Stapulenſis ita ſtatum controverſiæ ponit: An Chriſtus Dominus, mortis deſtructor, & vitæ largitor æternæ, dolores inferni in anima apud inferos ſuſtinuerit, ut Adamum, qui ſecundam mortem in ſua tranſgreſſione incurrerat, cum tota poſteritate à dolore ſecundæ mortis eriperet? Et reſpondet ipſe, quod non paſſus ſit quippiam apud inferos: Negativam ſuam ſic probat:

I. Per glorioſam Chriſti mortem, & precioſiſſimi ſanguinis effuſionem humana redemtio ſufficienter facta eſt. Ad quid igitur pœnas ſecundum animam apud inferos paſ-

sus fuisset pro iis, quos tam abunde in terris redemerat? Non igitur Christus, qui sua morte mortem æternam destruxit, quicquam pœnarum apud inferos secundum animam passus est. Antecedentem probat dictis: Matth. 26. v. 28. Ephes. 1. v. 7. Ebr. 9. v. 11. 1. Pet. 1. ver. 18. Apoc. 5. ver. 9.

II. Idem probat salvatoris voce, quæ proxime divini spiritus efflatum præcessit, *Consummatum est*, quod Hebr. 10. v. 14. sic repetitur: *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ergo hoc τετελείωκε finivit omnes passiones, & non opus habuit aliquid pati apud inferos.

III. Ex dicto Christi Luc. 24. vers. 26. sic colligit: *Nonne hæc oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam?* Ecce continuo post mentionem passionis ingressus eius in gloriam subijcitur: Ergo non potuit amplius aliquid pati.

IV. Idem verbis Christi ad latronem, confirmat Luc. 23. v. 43. Absurdum est, quod latro sit in deliciis Paradisi, & simul filius Dei torqueatur: dixit enim: *hodiè mecum eris in Paradiso*: Quantum igitur differt esse in paradiso, & inferorum sustinere pœnas, tantum differt, descendere ad inferos & pati tormenta.

V. Philip. 2. v. 8. dicitur: *Factus est obœdiens*

ens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, dicit usque ad mortem crucis, ne quis credat usque ad mortem secundam, & secundæ mortis in inferno perferendos dolores. Ergo obædientia non obligauit animam Christi ad perferendum dolores inferni.

VI. Orationes Christi in cruce sunt exauditæ, Ebr. 5. v 8. Ergo & illa oratio, qua commendavit animam suam manibus Patris exaudita est, Luc. 23. v. 46. Non igitur innoxius ille filii Dei exauditi Spiritus ad pœnas emissus, sed receptus est in manus & protectionem æterni Patris.

VII. Psalm. 3. v. 5. dicitur: *Ego dormivi & soporatus sum, & resurrexi.* Per soporem hic dulcis, quieta, grata, & sine molestia ulla dormitio Christi designatur: Non igitur illi molestus & tristis erat infernalis carcer.

VIII. Actorum 2. v. 24. extat: *Impossibile erat illum à morte & doloribus inferni detineri.* Si vero quid in inferis passus fuisset, possibile fuisset illum detineri. Adversatur igitur scripturæ eum in inferno quicquam passum esse: imò ne potuit quidem. Et idem ex hoc textu perinde colligit Augustinus 33. cap. 12. libri super Genesin ad literam. &c. Ex his & nonnullis aliis concludit Stapulensis, descensum Christi ad inferos, ut & cætera omnia, quæ mortem Christi secuta sunt, non dolorosa, sed

sed glorioſa fuiſſe, glorioſam inferorum ſpoliationem, glorioſam reſurrectionem, glorioſam immortalitatis & reſurrectionis oſtenſionem, glorioſam aſcenſione & ſeſſionem in dexteris paternæ Majeſtatis. ¶ Quod ulterius dicto Oſeæ 13. v. 14. *Ero mors tua ô mors*, & typo Ionæ Matth. 12. v. 40. Moyſe item populum Iſraël educente declarat & confirmat. Quæ omnia hic latius placuit perſequi, tum quia vetuſtatem, tum quia eruditione theologicâ redolent, tũ quia idem, quod Formula Concordiæ artic. nono ſtatuit, aſſerunt. Sic enim & ipſa decidit: *Chriſtum non ideo deſcendiſſe ad inferos, ut aliquid pateretur, ſed totã perſonam Deũ & hominem poſt ſepulturã ad infernum deſcendiſſe, diabolum viciſſe, inferni poteſtatẽ deſtruxiſſe, & diabolo omnem vim exuiſſe.* Idque planè ex mente & ſententia Lutheri, qui piè, ſobriè & modeſtè hunc articulum explicat, & explicandum eſſe conſulit, concione ſua Torgæ habita, quæ extat tomo 6. Ienenſi germanico, mihi fol. 77. ¶ Pro cuius declaratione, hoc unicum inſuper admonemus: Lutherum etiam fuiſſe initio in illa opinione, quaſi Chriſtus paſſus aliquid ſit in inferno: ſic enim ait commentario in pſalmum hunc tomo latino Ienenſi, mihi fol. 171. Etſi multi ſancti in ſepulchro et inferno abſq; dolore fuiſſe credantur, qui & in pace mortui ſunt, tamen Chriſtus ſicut cũ ſummo dolore mor-

mortuus est, ita videtur & dolores post mortem in inferno sustinuisse, ut nobis omnia superaret. Sed respondendū est primò quod dubitativè (per verbum *videtur*) tantum, & non decisive loquatur. Deinde quod hic commentarius super viginti duos Psalmos priores, primis adhuc annis scriptus sit, in quo toto postea Lutherus ipse (quod Epilogus sub finem horum psalmorū additus testatur) multa desideravit, quem et corrigendum suscepisset, nisi fata promissioni suæ factæ viam præclusissent, quod noviſſe ideò conducit, ne quis auctoritate Lutheri conetur nostram sententiam convellere.

Cæteras quæstiones ociosas magis quam utiles, utpote, quomodo descensus factus sit, & quo temporis momento, & si quæ sunt similia, ex consilio Lutheri missas faciimus, simpliciterq; credimus, juxta τὸ ῥητὸν huius articuli, totum Christum ad inferos descendisse, ut Augustinus contra Felicianum ait cap. 14. *Vno eodemq; tempore totus erat in inferno, & totus in cœlo: Erat apud inferos resurrectio mortuorum: Erat super cœlos vita viventium: verè mortuus, verè vivus.* Quibus addi satius est doctrinam de efficacia salutari descensus Christi ad inferos: quod Cyprianus in expositione Symboli Apostolici breviter sic effert: *Bonitatem in hoc intellige creatoris, quia eousq; miserando descendit, quousq; tu peccando dejectus es.* Sta-

VII.

Status vitæ æternæ hic nobis mirificè commendatur, non tantum in eo, quod *semita vitæ* dicitur, sed & quod expresse hic *gaudiorum læticiarumq́, quæ ibi coram vultu Dei sint*, fit mentio. Quæ quidem delectationes tantæ sunt, ut rectè Paulus dicat, *Oculum nec vidisse, nec aurum audisse, nec in mentem ullius venisse id, quod Deus præparaverit salvandis*, 1. Cor. 2. ver. 9. Cuius spei gustus & delibatio, ut in hac vita nobis sit dulcior, de quatuor gaudii futuri objectis nonnihil cogitemus. Quæ Augustinus nobis proponit, & unico dicto comprehendit hoc modo: *Electi Dei in vita æterna gaudebunt supra se, de visione Dei: infra se de evasione inferni: circa se de angelorum & beatorum associatione: intra se de corporis & animæ glorificatione.*

Primum gaudii nostri obiectum est visio Dei, quæ eò jucundior erit, quo profundior & quo diuturnior. *Videbimus enim eum sicuti est*, 1. Ioan. 3. v. 2. idq; in æternum, sicut Christus inquit Ioan. 16. v. 22. *Rursus videbo vos, & cor vestrum gaudebit, & hoc gaudium nemo auferet à vobis*, qua se spe Iobus etiam sustentat cap. 19. v. 27. *His oculis videbo Dominum meum.*

Alterum objectum in vita æterna intuitus inferni erit, cuius minas & pœnas evaserint. Læto enim ἐπινικίῳ Deo æternas agent gratias pro justo judicio suo, quo puniat sontes

tes, tyrannos, hæreticos, antichristos, hostes nominis sui.

Tertium objectum societas erit tum angelorum tum beatorum. Quid enim erat jucundius Petro, quam vel momentaneo actu videre Moysen & Eliam in monte, & Christū in clarificato suo corpore, adeo ut quasi extra se raptus petiverit ibi tabernacula perpetua extrui? & quid potest nobis accidere gratius, quam nostris amissis amicis & majoribus aggregari?

Ultimum obiectum erit animæ & corporis nostri glorificatio, quia corpus humilitatis nostræ conforme reddet corpori suo glorioso Christus, Philip. 3. vers. 21. Quid multis? *Gaudia vitæ æternæ erunt tam magna, ut non possint mensurari: tam multa ut non possint numerari: tam copiosa, ut non possint terminari: tam preciosa, ut non possint æstimari,* sicut Bernhardus loquitur. Et Augustinus inquit: *Amabimus sine modo; videbimus sine fastidio; gaudebimus sine termino.* Quod largiatur nobis Iesus Christus, benedictus in secula.

SEPTIMVM VATICINIVM.

PSALMVS CX.

1. *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos, Scabellum pedum tuorum.*

2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, Dominare in medio inimicorũ tuorũ.*

3. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum: Ex utero ante Luciferum genui te.*

4. *Iuravit Dominus et non pœnitebit eum; Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.*

5. *Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ Reges.*

6. *Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.*

7. *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.*

ARGV-

ARGVMENTVM PSALMI.

MUltis modis verisimile est, Davidem occasionem scribendi hunc Psalmum sumpsisse ex concione, quâ nomine Dei habuit ad ipsum Nathan Propheta, illo circiter tempore, cum Rex ædificationem templi meditaretur primam, ut legere est 2. Samuel. 7. Tunc enim Nathan accepit mandatum de renovanda promissione Seminis benedicti, cuius nativitas ut hactenus ad familiam Abrahami, Isaaci, Iacobi & tribus Judæ alligata erat, sic jam porro arctius contraheretur, & ad regium stemma & sanguinem Davidis astringeretur: dicente Propheta ibidem: *Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum Patribus tuu, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo. Et firmabo regnum eius, ipse ædificabit domum nomini meo.* Quanta enim devotione concionem hanc acceperit David, eò quod de Messia promisso & ex familia posteritatis suæ expectando, eandem dextrè accepisset & intellexisset, ex sequentibus patet, quando summa animi gratitudine agnoscit, DEVM non acquiescere in beneficiis hactenus sibi collatis, quin & insuper de Messia post multa secula ex familia ipsius nascituro, spem & promissionem luculentissimè faceret. Hoc ipsum enim sibi

sibi volunt verba illa, cum inquit in Hebræo: versu 19. *Hæc est lex hominis Dei Domini*; id est, agnosco te de Messia mihi vaticinari, & quidem tali, cuius *Lex*, hoc est, cuius ratio sic se habeat, ut sit simul DEVS & homo.

Tantarum igitur tamque sublimium rerum secretiori meditatione abreptus David, cæpit procul dubio opulentiam tantæ promissionis altius rimari. Itaque ingressus tabernaculum Domini, consedit coram Domino, ut versu 17. dicti capitis legere est, ibique elevata mente, manu, voce, Deo immensas egit gratias pro revelatione tantorum mysteriorum. Qua gratiarum actione peracta, dubio procul Propheta convertit se ad citharam suam, & pro more solito, arrepto calamo cæpit naturam majestatemque tanti Regis Messiæ non adumbrare duntaxat, sed evidenter per Spiritus sancti gratiam describere.

Sic autem instituit Propheta descriptionem & encomium huius Regis & regni, ut infinitis parasangis distinguat hunc regem ab aliis regibus, hoc regnum ab aliis regnis quibuscunque in mundo. Multum enim interest, formam huius regni, quæ in singulari maiestate, peculiari dignitate & perennitate consistit, vivis sic depingere coloribus, ut nequaquam cum reliquis Monarchiis & imperiis

riis in mundo confundatur, quę confusio mater magni erroris esset.

Est igitur hic Psalmus Propheticus & didascalicus, in quo vaticinatur Psalmista, Messiam futurum esse Regem divinum, non tantum majorem & eminentiorem omnibus Monarchis in his terris, sed & ipsis angelis superiorem, qui sessionem suam habiturus sit ad dexteram Patris, quique futurus sit Deus & homo in una persona, & non tantum Rex nudus, sed & insuper sacerdos, non quidem Aharonici vel Levitici ordinis, sed Melchisedezæi, neque sacerdos temporarius sed æternus. Quæ διαγραφή, descriptio & delineatio huius Regis tam præcisa, tã limitata, tamq; singularis est, ut nulli creaturę præter solũ Dominum nostrum Iesum Christũ accommodari possit.

Cui descriptioni personali subiicit Propheta, unde hic rex sumpturus sit initium suĩ regni vel sceptri; quantos facturus sit progressus in hoc mundo; quæ bella molituras; quot quantasq; victorias recuperaturus; & qualem populũ sibi acquisiturus sit. Et deniq; sic modificat & temperat in appendice has victorias, ut per transitum passionis omnẽ hanc gloriam acquirendã esse declarẽt. Quod itidem novum planè & peculiare est huic regi; cum mundani reges bene agendo acquirant sibi & occupent regna, hic benè patiendo.

Tos

Tot igitur sunt partes huius Psalmi, quot signavimus, tres nimirum:

Prima pars continet descriptionem huius Regis, quo ad personam & officium.

Secunda pars Regni formam delineat.

Tertia modum acquirendi hoc regnum.

Ut autem omnia sint adhuc explicatiora, ordinem singulorum versuum exigemus, eosque ad quinque revocabimus capita.

I. Primo versiculo agitur de celsitudine huius regni.

II. Secundo & tertio versibus agitur de regno ipso, videlicet ortu, progressu & subditis eiusdem.

III. Versu quarto agitur de Sacerdotio huius Regis.

IV. Versu quinto & sexto de administratione judicii.

V. Versu ultimo additur Epilogus, tanquam ἐπανόρθωσις vel ἐπεξήγησις modi acquirendæ tantæ gloriæ.

Ex quibus tam variis & arduis mysteriis hoc in Psalmo contentis, elucet, recte de hoc Psalmo pronunciasse Augustinum, breuem esse numero verborum, sed magnum sententiarum pondere.

ΑΠΟ-

ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ SEV DEMONstratio Argumenti.

PSalmum hunc CX. de MESSIA eiusq; regno vaticinari ex rebus ipsis ceu visceribus huius Psalmi intimis tam clarum est, ut vel ipsi Rabini huic veritati cedere & calculum adiicere cogantur: Sicut hac de re nonnulla illorum testimonia legi possunt collecta à Petro Galatino in opere suo *de arcanis catholicæ veritatis.* Luculentum enim testimonium est, quod apud Judæos extat in libro collectionum his verbis: *Dixit Rabbi Iordan, in nomine Rabbi Hama: In tempore futuro, DEVS sanctus & benedictus sedere faciet regẽ Messiam ad dexteram suam, sicut Psalmo 110. dictum est: Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexterã meam.* Quod Thargum Jonathan filii Uziel sic exponit: *Dixit DEVS Verbo suo, sede ad dexteram meam.* Vide Galatinum libro 3. capite 5. Et in libro Midas te Hilla, id est, expositione Psalmorum legitur: *Narrata sunt mysteria regis Messiæ in scriptura legis, Prophetarum & Hagiographorum. In scriptura legis ut illud Exodi 4. filius meus primogenitus Israël: In scriptura Prophetarum ut illud Esaiæ 53. Ecce intelliget servus meus, exaltabitur & elevabitur. In Hagiographis, ut illud Psal. 110. Dixit Deus Domino meo, sede ad dexteram meam.* Vide Galatinum lib. 8. cap. 24. Item Rabbi Mosen

Moſes Hadarſan in expoſitione libri Geneſeos ſic ait: *Hoc eſt quod ſcriptum eſt Pſalmo 110: Iuravit Deus & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum ſuper verbum Melchiſedech. Et quis eſt hic? hic eſt iuſtus & ſalvator rex Meſſias. Sicut dictum eſt Zachariæ 9. cap. Ecce rex tuus veniet tibi iuſtus & ſalvator.* Vide Galatinum lib. 10. cap. 5.

Quę ut & ſimilia teſtimonia non ideò allegamus, quaſi magni nobis fiant citati autores (excepto paraphraſte Chaldaico Ionathan qui utrinque magnam habet autoritatem) ſed propter ipſos excœcatos Judæos hæc obſervari maximè volumus, videlicet ſi negare velint Pſalmũ hunc de Meſſia loqui, propriis confodiantur ſpiculis ſuorum Rabbinorum, quorum παραδόσεις ſeu traditiones apud illos jure multum valere debebant.

Quamvis inficias non eamus tam effrontes eſſe nẽotericos Judæos interpretes, ut non tantum contra nos Chriſtianos, ſed etiam antiquis his magiſtris ſuis adverſum aſtruere non erubeſcant, Davidem non de Meſſia, ſed de alio aliquo verba hæc protuliſſe: Quamvis in eo, quod aliquem alium nominatim decernere debeant, non benè inter ſe conveniant. Nonnulli enim de Abrahamo hæc dici fingunt. Nonnulli de Ezechia rege ut Tertullianus lib. 5. cap. 9. adverſus Marcionem teſtatur. Nonnulli cum etiam hoc ſubſiſtere non-

non posse facilè suboleant, Davidem de angelo suo, qui quidem ipsi in custodiam à Deo peculiariter datus sit, locutum esse garriunt.

Sed præterquam quod illi textui summam faciunt injuriam, hoc magnoperè admirandum est, quod majoribus suis, & magistris Thalmudicis (quorum autoritatem tantam apud ipsos esse venditant, ut si vel Rabbinus quidam dextrum lævum & lævum dextrum appellet, id sine omni controversia credendũ sit) graves hisce anilibus fabulis colaphos infringant.

Sed vapulent Rabbini per nos licet, modò ne textui Sacræ Scripturæ plaga inferatur, quod glossis suis facere multipliciter satagunt. Nam quomodo in Abrahami personam quadrare potest, quod de rege hic dicitur, cuius sceptrum emittendum sit ex Sion, cum Abraham montis Sionii nunquam factus sit incola? quomodo Abraham sacerdos in æternum salutari potest? quando Abraham legitur bibisse de torrente in via, ut propterea caput exaltârit? Quod idem contra Ezechiam militat: nam ut rectè Tertullianus loco paulò ante dicto concludit, Ezechias non fuit Sacerdos; & si fuisset, nec in ævum fuisset. Et quid Ezechias ad Melchisedech altissimi sacerdotem, & quidem non circumcisum, qui

Abrahæ circumciso jam accepta decimarum oblatione benedixit?

Sed ter quater absurdius est, quod de angelo Davidis custode hic dici fingunt. Etsi enim non negetur unumquemq; hominem habere vel angelū, vel angelos suos, teste Christo Matth. 18. v. 19. tamen ne hoc quidem simpliciter admitti potest, hunc angelum Dominū vel Davidis vel ullius hominis in scriptura nominari, conservi cupiunt salutari, ut est Apocal. 19. v. 10. Quoties autem in appariti-onibus Domini salutantur, subintelligendum est Messiam sub humana forma consortio eorum interfuisse. Quod utut se habeat, multò clarius insuper est, quod res ipsa loquitur, ne ullum quidem sedere à dexteris Dei, sed stare coram facie Dei, quod ministrorum est, ut ex visione Danielis apparet, Dan. 7. v. 10. Quomodo etiam competere potest angelo officiū sacerdotale, quod Deus non per angelos, sed per homines in his terris semper administrari voluit? Et cum angeli neq; edant neq; bibant, quomodo de iis accipiatur, bibere eos de torrente in via? Denique dicitur hoc loco; propterea exaltabit caput, id itidem de nullo angelo sive bono sive malo accipi poterit, boni capite nunquam diminuuntur aut humiliantur ut amplius exaltari possint, manent enim in eadem [illegible] dignitatis suę, confirmati in veritate

ritate

ritate immutabiliter. Mali nunquam exaltabuntur, sed in æternum abjecti erunt.

Ἄτοπον igitur & ἀσύστατον, frivolum ac nugatorium planè est, quod sibi Judæi hic vel de Abrahamo, vel de angelo somniant.

Nos detracto Moysis velo & missis illis, clavem, hunc Psalmum recludendi, ex Novo Testamento certissimam repetimus.

Primò enim Christus ipse in quo reconditi sunt thesauri omnis sapientiæ, disputatione cum adversariis suis Pharisæis instituta, quærit ex illis, cujus filium putent esse Messiam? Respondent Davidis, Instat CHRISTVS: cur ergò David vocat eum Dominum? Pharisæi obmutescunt. CHRISTVS igitur quærendo & allegando hunc Psalmum testatur irrefragabiliter Davidem hoc in Psalmo vocare Messiam Dominum suum, & per consequens vaticinari de Messia. Pharisæi tacendo consentiunt in hanc thesin: nisi enim consensissent manifestam habuissent elabendi rimam, Psalmum hunc de Messia non loqui: in quo tamen muti sunt magis quam pisces Matth. 22.

Præterea idem testatur D. Apostol⁹ Petrus, cum negat Davidē ascendisse ad cœlos, Christum autem ascendisse ad cœlos, & consedisse ad dexteram Patris, idque juxta vaticinium olim à Davide editū hoc psalmo: *Dixit Dominus*

Domino meo &c. ut legere est Act. 2. v. 34. Huic porrò Paulus suffragatur 1. Cor. 15. v. 25. *Oportet*, inquiens, CHRISTVM *regnare, donec ponat inimicos sub pedibus eius:* ubi διαῤῥήδην hæc verba de CHRISTO sonare asserit. Neque etiam tunc inter tot millia auditorum unum habuit qui contradiceret.

Denique Epistolam ad Hebr. testem vocamus non uno in loco. Capite enim 1. v. 13. fortiter convincitur hunc Psalmum non posse de ullo alio, quam de CHRISTO accipi, cum impossibiliter angelus capax sit sessionis ad dexteram Dei. *Ad quem enim angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, quoadusq; ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Nonne omnes sunt administratorij Spiritus, in ministerium emissi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?* Cuius argumentationis hæc vis est:

Minister non potest respectu eiusdem esse & minister & Dominus.

Angeli sunt ministri respectu Dei.

Ergo Respectu Dei non possunt simul ministri esse & Domini.

Cui autem Deus ipse dicit: *Sede à dextris meis*, illum Deus penes se facit Dominum, hoc est, communicat eidem æqualitatem dominii sui.

At verò angeli non possunt respectu Dei simul esse Domini.

Ergò

Ergo iisdem dici non potest: *Sede à dextris meis*: Unde ex abundantia consequitur.

Si de nullo angelorum dici potest, quod sedeat ad dextram Dei.

Ergo multò minus de ullo hominum sive is sit Abrahamus, sive Ezechias, sive David, sive ullus alius. Citatur idem dictum Hebr. 5. v. 6. item Hebr. 7. v. 21.

Etsi igitur miranda est cœcitas Judæorũ, magis tamen stupenda est Ioannis Calvini sapientia & aduncus nasus in commentario huius Psalmi, quo autoritatem huius Epistolæ tam facile suspendere potest. Nam licet concedat, aut certè videri velit concedere, de nullo alio, quam solo CHRISTO hunc Psalmum loqui, tamen in eo sui obliviscitur, quod contra Epistolam ad Hebræos statuat, hæc verba: *Sede à dextris meis*, posse aliquatenus Davidis personæ congruere: Ratio suæ opinionis hęc est: quia neque temerè solium ipse conscendit, neque illuc penetravit malis artibus, neque evectus fuit stultis suffragiis, sed Dei mandato regnavit. Imo inquit: De cunctis mundi regibus merito dici posset, divinitus locatos esse in suo solio: & quæ sequuntur. Quæ verba blasphemiæ plena sunt, eò quod phrasin hanc: *Sedere ad dexteram Dei*, tam latè extendant, ut quæ nulli angelorum competere possunt, cuivis mortali regi competant,

quasi sensus eorum sit: Dominum distributorem & autorem imperiorum jubere & Davidem & quosvis alios reges capessere à Deo sibi in certis provinciis destinatum imperium quod alienissimũ est ab hypotyposi sanorum verborum, affine autem futili interpretationi Judæorum, qui, ut supra notavimus, de Ezechia hæc verba accipiebant, quasi is etiam sedisset ad dexteram Dei, quia sedisset ad dexteram templi, & Deus avertisset hostes eius & absumpsisset, prout recitat hanc glossam Tertullianus lib. 5. cap. 9. quem supra citavimus.

Sed nos toto pectore execremur hanc libidinem corrumpendi textus scripturæ tàm Judæorum quàm Judaizantium. Et Calvinum quidem sub virgam sui assectæ Petri Martyris vocemus & acriter castigemus, qui in commentario suo in 1. ad Cor. 15. sic ait: *Si quando Hebræi resistant his testimoniis, quæ Christus & Apostoli pro his articulis confirmandis adducunt, nõ multum moveamur. Quia dubitandum non est, Apostolos & Christum inprimis secutos esse vulgatas & receptas expositiones à patribus. Nam ea loca ita receptũ erat eo tempore de Messia intelligenda fuisse, ut qui aderant ea salvo pudore & conscientia negare non potuerint. Ideo non legimus in Evangeliis eos reclamasse, quod Scripturæ quæ adducebantur, de Messia nõ essent intelligendæ. Sed potius ita videmus oppilatũ illis fuisse os, ut non habuerint quod responderent. At*

hunc

nunc quando inter Hebræos illæ receptæ expositiones desierunt, illis non videntur commenta deesse. Itaque nos cum audiverimus Christum aut Apostolos interpretatos aliquem locum, illis indubitatò fidem habeamus. Hæc Martyr.

Nos insuper addimus: non tantum Christo & apostolis interpretibus ideo credendũ quod secuti fuerint receptas & vulgatas tunc temporis interpretationes suorum temporũ, sed simpliciter quod hoc modo & non aliter fuerint interpretati. Sunt enim hi merito nobis omni exceptione majores. Quibus corollarii vice assumimus patres istius seculi, si qui fuerunt puriores.

Junioribus autem inserviant hæ rationes, quò minus se hac insanabili & aleatoria libidine ludendi scripturas, et scabioso pruritu cũ Calvino ludaizandi accendi & infici sinant.

I. Quia in os contradicitur Christo & Apostolis multis in locis, quos vaticinia Prophetica violenter torquere, subtilius deflectere, intempestivè trahere, & in alium sensum convertere, fastuosissimè audet accusare.

II. Quia hac interpretationis forma nova donũ interpretandi scripturas, quæ analogia fidei vel maximè nititur, enervatur. Analogia autem fidei apud Christianos hoc requirit, ut dicta Vet. Testamenti luce Novi declarentur. Pervertit ergò & corrũpit donũ interpretandi, qui allegationes Novi in dubium vocat.

III. Quia recentium Judæorum patrocinium contra ipsos Judæos Veteres susci-pitur, ut ex Petro Galatino multis in locis patet.

IV. Quia ad Arrianismum latior via panditur.

V. Quia immodestiæ crimen instillat junioribus, ut reliquos interpretes tam Veteres quam Novos præ se superciliosè contemnant, & soli sibi sapere videantur, contra mandatum Paulinum Rom. 12. v. 3. Μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, hoc est, *non nimium sapere, præterquam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Et 1. Cor. 14. v. 32. *Spiritus Prophetarum subiecti sint Prophetis.* Et Petrus interpretationem Scripturæ sic limitat, ut non sit ἰδίας ἐπιλύσεως, 2. Pet. 1. v. 20. Quas rationes qui secum impensius fuerit meditatus, à castris Calvini pedem figet longius.

Hactenus de demonstratione Argumenti.

PSALMI PARS PRIMA.

Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

PARA-

PARAPHRASIS.

INcipit David describere acta comitiorum quorundam valde illustrium, quæ non habita sunt in terrestribus, sed in cœlestibus, & quidem in luce inaccessa, 1. Timot. 6. Imperator qui comitia hæc indixit Deus Pater est, quem IEHOVAH appellat, & est Rex regum, & Dominus dominantium. Summa propositionis, de qua hisce comitiis agitur, est inauguratio novi Regis, qui debeat esse Rex & Messias, summus totius mundi Monarcha, Rex & caput Ecclesiæ, contritor capitis serpentini, victor Satanæ, destructor mortis & inferni, & omnium operum Diaboli. Vota inter sacrosanctæ divinitatis personas conferuntur. Sententiam Deus Pater ipse ad Filium suum proloquitur, inquiens: *Sede à dextris meis.* Sed quia hæc synodus peragebatur in luce, ut diximus, cœlestium inaccessa, & per tamen necesse erat, acta hæc omnia diligenter annotari, tandemque revelari generi humano, itaque Propheta & Rex David afflatu & auxilio Spiritus sancti ascisitur, ut Protonotarius, qui acta, dicta, & sententiam horum comitiorum non tantum audiat, sed & celeri calamo assequatur, excipiat, & literis in perpetuam rei memoriam mandet. Quicquid igitur verborum à Davide recitari audimus,

id non secus accipiamus, quam si, perinde ut David, videamus coronari, & audiamus renunciari à Deo filium suum Regem. Nam *dicere* hic non significat voluntatem & conceptum mentis suæ proferre ad alium more humano, ut Filius Dei certus sit de sua electione, quo patefactionis modo & signis inter personas Divinitatis opus non est, cum Filius Dei sit ipsa mens Patris: Sed idem significat, quod placitum, sententiam & decretum immensa & imperscrutabili sapientia ab æterno inire, atque idipsum toti generi humano revelare atque promulgare. Quam sententiam dixit, fecit, promulgavit, sancivit, revelavit, ipse IEHOVAH Deus Pater ad *Dominum meum*, sic enim vocat Messiam David: Cuius sententiæ summam per μίμησιν recitat, nempe: Deum Patrem dixisse ad Messiam: *SEDE*, imperium, potestatem, majestatem, quam tibi trado, capesse, impera, regna, sic quidem ut regnes non sub pedibus meis, non supra me, nó sub sinistra, non sub dextera, sed ad dexteram meam, qua voce, non diminutionem, aut præeminentiam, sed præcisè æqualitatem potentiæ, majestatis, auctoritatis, gloriæ, & quasi dicas concurrentem jurisdictionem ascribit Regi huic Messiæ.

Sed antequam progrediamur, quæstio hic suboritur non levis: Cur David cum de Deo

Patre

Patre & Deo filio loquatur, non ita formârit verba: Dixit Dominus meus domino meo? An tantum secundum divinitatis personam agnoscat Dominum suum excluso Patre? Responsio & in verbis & rebus ipsis consistit. In verbis notandum, quod non utrobique in fontibus ut in Latino idem sit vocabulum: sed prima vox יְהוָה *Iehova* est, altera אֲדֹנָי *Adonai*. Vox IEHOVA nullibi ponitur in sacra Scriptura cum affixis: nullibi enim legitur יְהוָתִי *Iehothi* JEHOVA meus, quod mysterio non caret. Nam constat vocem hanc πεφαλαίμματον, ut vocant, nomen essentiale esse, & idem sonare quod ENS vel EXISTENS. Quæ vox tribus sacræ τριάδι personis communis est, notans essentiam divinam, immutabilem, impartibilem & incommunicabilem ulli creaturæ: hoc est, describens Deum in se absolutè; qualis noster non est, nec noster fieri potest, quod ad αὐτάρκειαν divinam pertinet. Vox אֲדֹנָי *Adonai* autem ab אָדָן *Æden*, originē trahit, quod significat sustentaculū & fulcrū, unde אֲדֹנִי *Adoni*, dicitur sustentator meus, quod nō est nomen essentiæ, sed operationis. Et cōsiderat seu denotat jam Deum non amplius ut est, & manet in circulo sufficientiæ & essentiæ suæ absoluto ad intra, sed prout egreditur & quasi exerit se operi-

bus

bus ad extra, hoc est, describit nobis Deum relatum. Et sic JEHOVAH fit Dominus noster, non quâ est, sed quâ sustentat & salvat nos. Attribuit autem hoc nomen אֲדֹנָי *Adonai*, non primæ divinitatis personæ, sed secundæ, ut in mysterio ostendat David, unde & ex quo autore ad se & totum genus humanum beneficium hoc sustentationis & salvationis promanet, nempe ex Messia Iesu CHRISTO Domino & sustentatore nostro: qui quia se totius ædificii facit fulcrum, & in se tanquam instabile sustentaculum derivavit onera peccatorum generis humani, effecit ut jam sacro sanctam Divinitatem salutare possimus Dominum nostrum. Cum igitur nec David nec ullus homo alius cũ absoluto JEHOVAH agere possit, aut ipsum suum Dominum appellare, rectè declinavit ad alteram personam Messiam, quem suum appellat Dominum, cuius interventu jam non agimus cum Deo absoluto, sed relato.

At insuper & alia quæstio suboritur, an David rectè Messiam potuerit aut debuerit nominare Dominũ suum?

Ratio dubitandi hæc est: quod negari non potest Messiam Filium Davidis esse, & ob id Davidem ratione prosapiæ & genituræ occupare locum inter majores CHRISTI, CHRISTVM

STVM verò locum inter posteros Davidis. Iam jus naturæ & sanguinis postulat, ut posteri in majoribus suis agnoscant patriam potestatem, & dominium honoremque acceptum ferant suis majoribus, non contra.

Sic quamvis Salomon Rex fuit excellentioris potentiæ quam David, nunquam tamen David salutavit eum suum Dominum. Ut & inconveniens fuisset, si Julius Cæsar Augustũ nepotem, hæredem & successorem suum in Romano Imperio appellasset suum Dominũ, cum potius contrarium sit statuendum. Resp. Hæc nimirum est illa quæstio, quam Messias ipse, ut gordium nodum objecit hostibus suis Pharisæis, qui in rebus sacris multum sibi videbantur sapere, & ad tantas redegit angustias, ut nec ullum verbum respondere nec contrà hiscere possent. Nobis verò, quibus lux mundi Messias ipse illuxit, responsio est in promptu. Pharisæi & Judæi quamdiu nihil aliud concipiunt fidei de Messia suo, quam quòd putant esse eum regem terrenum, nudum hominem, tamdiu nec potuerunt nec poterunt hunc nodum expedire. Itaque longè sublimius de Christo credendum est. Primo enim: quia David Messiam appellat Dominum suum, confitetur quod Messias nasciturus quidem sit ex ipsius prosapia, sed tamen non tantum futurum esse nudum hominem,

sed

sed Deum, atque ita non æqualem sibi Davidi sed majorem. Et hæc prima est ratio, nimirum quod Messias respectu divinæ naturæ major est Davide.

Secundo, quia etiam Messias respectu humanæ naturæ ad hanc exaltatus est sublimitatem, ut qua homo, assumtus sit in ὑπόστασιν τοῦ λόγου & unam cum λόγῳ constituat personam, perque vim huius unionis particeps sit natura humana reddita infinitorum donorum divinorum, consequens est Messiam etiam respectu humanæ naturæ, quâ filius est Davidis, longè alterius, & sublimioris jam conditionis esse, quàm vel fuit Salomon, vel omnes alii reges & posteri Davidis. Utut ergo David nunquam potuerit ac debuerit Salomonem, & alios suos appellare Dominos, eò quod sint jure sanguinis & ætatis inferiores, sibiq; per omnia æquales, tamen nequaquam perinde se cum Christo & humanæ naturæ respectu habebit, ille enim quoad humanam naturam factus est, & Davidis & omnium Imperatorum, omnium angelorum & principatuum, tandemque omnium, quæ nominari possunt, Dominus. Et hæc est secunda ratio.

Tertiò, David dixit Christum Dominum suum ratione officii. Cum enim Christus θεανθρωπος fungatur officio Mediatoris apud Deum, & sit sustentator, Redemtor, Iustificator,

tor, Salvator, Pastor, Rex & Sacerdos Davidis & omnium hominum, liberans Davidem & omnes homines, à morte, à tyrannide Satanæ, à peccato & maledictione damnationis æternæ, & restituens Davidi & omnibus credentibus justitiam & vitam æternam, ideò & merito & jure tàm respectu utriusque naturæ ut antea diximus, quam respectu officii sui Christus Davidis est Dominus. Quæ solutio solvit omnibus modis quæstionem hanc, & confundit stultam & jejunam opinionē Pharisæorum & Judæorū de Christo, in quo præter nudum hominem & regem terrenum nihil quærunt.

Donec ponam inimicos tuos.] Non tantum assumit Deus Pater Messiam in consortium suæ majestatis & celsitudinis, sed simul admittit etiam in societatem operationis efficaciæ & auxilii sui in vincendis & debellandis hostibus, de quibus certa erit victoria: & quidem non transitoria victoria, sed perennis & æterna, quæ extendet sese in infinitum. Nam particula עַד *Ad, donec,* non est hoc loco adverbium temporis finiti. Neq; hæc sessio ad dexteram ita accipienda est, quasi perduratura sit tantum, donec vel quousq; deponantur inimici Christi, atque tunc finem habitura sit; *Id enim pugnat cum perenni æter-*

æternitati regni Christi: Sed particula hæc *donec*, induit hoc loco naturam coniunctionis causalis, ut sensus sit, *Sede à dextris meis, donec ponam*, id est, ut ponam inimicos tuos. Sunt enim multa similia exempla in sacris, in quibus non importatur per particulam *donec* meta decisiva, quasi inposterum sequatur contrarium: veluti cum dicitur Gen.8.ver.7. *non reversus est corvus, donec exsiccatæ sunt aquæ*: quorum verborum sensus non est, corvũ non priꝰ esse reversum quam exsiccarentur aquæ, sed aquas exsiccatas esse, & corvum nunquam esse reversum. Item Matth.1. v. 25. *Non cognovit Ioseph Mariam donec peperit primogenitum*: ubi sensus est, Iosephum omnino non cognovisse Mariam etiam cum peperisset jam primogenitum. Sic Matth.5.v. 18. *donec præterierit cœlum & terra, iota unum & apex unus non peribit*: non quod tunc jota aliquod verbi divini periturũ sit, cum cœlum perierit, sed ne tunc quidem jota periturum esse. Cui simile est illud: *Ecce sum vobiscum ad consummationem seculi*, Matth.28.ver.20. Quid ergo seculo jam consummato fiet, an tunc Christus amplius non erit nobiscum? erit omnino nobiscum. Pari modo Christus jubetur hic sedere ad dexteram Dei donec ponat inimicos. An ergo non sessurus est amplius inimicis jam depositis? nequaquam, ipse enim depositionis actus

actus, etsi finiendus est seculo huius mundi, (tunc enim hostes Christi in infernum ipsum deponentur:) tamen effectus, duratio pœnæ, & sensus istius depositionis jugiter continuabitur in omnem æternitatem. Depositio autē hæc transitoria non est & finita, sed perdurans & æterna; quod persentiscent ipsi hostes filii Dei, qui prostrati jacebunt ad pedes ipsius usque in æternum.

Inimicos] Qui autem nominatim futuri sunt hi inimici, de quibus Pater filio suo concionatur, ex circumstantiis huius textus diligentius consideratis facilè licet arbitrari. Nam admodum sublimis est rex noster Messias collocatus ad dexterā Dei ipsius, invictus, potens, terribilis & excelsus: cui si quis se hostiliter opponere velit, eum certè oportet gnaviter esse impudentem, ferocem, temerarium, potentem, malignum. Fieri enim ita solet, si alicubi sit rex potentia armorum & regni sui formidabilis, ut eum non aggrediatur quivis levis armaturæ homuncio, aut Pygmæus, *quorum vana est sine viribus ira*, sed qui confisus sua potentia, qua pollet, aliquid laudis se ex prostrata tanti Regis autoritate impetrare posse speret. Quod igitur hostes Christi non sint impotentes, sed potentissimi & malignissimi, id collectu admodū facilè est, immo vero is est inter hostes, qui omnis malitiæ, omni-

um bellorum, latrocinii & mendacii autor & pater est, videlicet, ipse Diabolus ipse serpens antiquus cum omnibus suorũ inferorum portis. Non ergo Christus certabit cum umbra (quod aiunt) Asini, sed res ipsi erit cõtra principẽ huius mundi & patrem omnis malitiæ, truculentię & tyrannidis, qui etiam vim suam virulentissimè exacuet in ipsum Filium Dei. Quapropter Deus Pater quoq; dicit, inimicos hos non tantum esse inimicos populi Messiæ, sed directè ipsius Messiæ. *Tuos* enim dicit, non tuorum. Nam Diabolus ipsum Messiam sibi scopũ & metam ponit, quo collimet, in quem omnia spicula sua ejaculetur, utpote inter quem & ipsum inimicitia est posita ab initio. Non enim tam stupidus est, quin intelligat Diabolus, se nihil proficere posse in oppugnando Messiæ populo, nisi prius ipsum regem populi aggrediatur & oppugnet. Quocirca hæc hostilitas reciproca est, Messias enim vicissim potentiam & virtutem suam opponet, non tantũ cuiuis de grege infernali seu squamis Diaboli, sed ipsi tenebrarum principi. At quis erit exitus huius hostilitatis? sequitur.

Ponam inimicos scabellum pedum tuorum] Hisce verbis Deus Pater spem victoriæ impetrandæ facit Filio suo. Nam phrasis hæc *Poni ad scabellum pedum* metaphorica est, omnibus linguis notissima, sumta ab orientalibus populis,

pulis, quorum victores quidam in usu habebant, devictis scabelli loco uti, ut faciebat Adonibesech, qui 70. reges sub mensam suam abjecit, ut ad pedes ipsius colligerent fragmenta, sicut gloriatur Iud. 1. v. 7. Et sic Tamerlanes adhibuit Bajazetem loco scabelli. Et Valerianus Cæsar persecutor ecclesiæ summus idem à Persarum rege Sapore passus est. Quod turpiter imitatus est Alexander Papa contra Imperatorem Barbarossam. Ab hoc ritu sumta est hæc locutio, ut extremam degradationem minetur hostib⁹ Christi. Quam Phrasin Paulus 1. Corinth. 15. v. 27. æquipollenter per vocabula destructionis & subjectionis interpretatus est, cum inquit: *Oportet illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus eius: novissimè autem inimica destruetur mors: Omnia subiecit sub pedibus eius.* In quo graviter Origenes libro περὶ ἀρχῶν capit. 6. erravit, qui animadvertens vocabulum *subiectionis*, non observavit quoque vocabulum propè positum *destructionis.* Sumsit enim hanc Phrasin in bonam partem & in suam erroneam opinionem detorsit, quasi sub consummationem seculi omnes inimici Christi, ipsi etiam Diaboli salutariter essent subiiciendi pedibus Christi. Etsi enim subjectio nonnunquam in bonam partem sumitur, ut cum in Psalmo 61. ver. 1. dicitur: *Nonne Deo subiecta erit anima?* Item Ps. 99.

vers. 5. *Adorate ad scabellum pedum Dei*: tamen, cum ipsum Paulum habeamus interpretem, qui hanc subjectioné cum destructione conjunctam esse explicat, distinguamus necesse est inter subjectionem: Alia enim est subjectio cultus, aliæ pœnæ. De subjectione pœnæ hic loquitur, non cultus. Inimici enim dabunt Christo dignas oppositionis suæ pœnas.

Movet autem hoc loco Basilius dubium, super hæc verba, quòd Deus Pater dicit: *Ponam inimicos tuos*, an hoc arguat aliquam Messiæ imbecillitatem, qui indigeat adminiculo & subsidio paterno in debellandis suis hostibus? Et respondet: *Quando audis quod Pater subiecerit, ne putes filium extra hoc opus esse seclusum, & sic ubi audieris filium subiecisse, ne ducas Patrem alienum esse ab eo opere.* Id enim vult Basilius, opus hoc, quia ad extra est, indivisum esse. Alia etiam est responsio, si respectus fiat in ipsa exinanitione Christi, in qua multa occurrunt exempla precum, quibus Christus Patrem invocat in subsidium suæ victoriæ, de qua re legatur Psalmus 22. per totum. Unde hæc particula, *ponam*, haud obscurè includit summam Messiæ exinanitionem, qua sic se demittet, ut Patris auxilium necesse habeat contra hostes suos implorare. Cuius submissionis profunditatem humana mente assequi non valemus.

Loci

LOCI COMMVNES.

I.

EVidens habemus hoc loco testimonium pluritatis Personarum in essentia Divina: Dominus enim ad Dominum loquitur, & quidem ad Dominum sedentem ad dexteram Dei: qui ipse, nisi verus Deus, esse non potest. Unde duæ personæ Divinitatis colliguntur, illa quæ loquitur, & altera, ad quam fit sermo. A quarum personarum consortio Spiritus sanctus tertiæ divinitatis persona non abest; adest enim & loquitur per os prophetæ Davidis, quem in spiritu appellâsse Messiam Dominum suum, ipse Messias testatur Matth. 22. v. 43. Sicut ergo in ipso statim creationis opere sacrosanctæ Trinitatis personæ se revelârunt, & consilium de creando homine inierunt Gen. 1. v. 26. *Faciamus hominem*: ita admodum notabile est, quod hic se rursus sacrosancta Trinitas patefacit, & colloquium habet, consiliumque init, de homine recreando vel reparando per Christum. Quâ blasphemum igitur est in Genesi intelligere sermonem Dei ad Angelos esse factum, tam frivolum hic quoq; Judæorum commentum est, nolle hoc loco sacrosanctæ Trinitatis mysterium attendere, sed verba hæc ad Angelum Davidis detorquere, quod haud leve excœcationis Judaicæ argumentum est.

II.

Miranda quoque φιλανθρωπία est Dei, qua tanta mysteria, quæ in secreto sacræ Trinitatis concilio, acta sunt, non voluit esse occulta generi humano, sed hoc nomine asscivit Prophetam Davidem, qui horum comitiorum, acta & dicta assignaret, & generi humano patefaceret. Nisi enim Spiritus sanctus aures & mentem Davidis aperuisset, mansissent hæc mysteria abscondita toti generi humano. Quocirca & divus Paulus Roman. 16. ver. 25. prædicationem de Christo appellat *revelationem mysterij temporibus æternis taciti, sed quod patefactum est per Scripturas Prophetarum.* Licet enim Deus viam iniisset salvandi genus humanum, & abscondisset eandem penitus, quid profuisset ulli hominum? Sicut enim Paterfamilias nihil emolumenti habet ex thesauro, intra fines agri sui, sed sub terra recondito, si ignoret, sic nihil omnino profuisset nobis consilium salutis nostræ, nisi idipsum etiam fuisset revelatum.

III.

Habemus in hoc Psalmo articulum fidei catholicæ de sessione Christi ad dexteram Dei Patris, quæ materia quia hic tanquam in propria sua sede fundatur, aliquanto plenius consideranda est.

De

DE SESSIONE AD DEXTERAM DEI.

PRimo ergò de vocabulis *SEDERE & DEXTERA DEI.* Constat ex superioribus, colloquium hic institutum esse inter duas divinitatis personas, Patrem verum, Deum & Filium verum Deum. Cum autem de vero Deo cum ἀνθρωπομορφίτις non sit statuendum, quod membra vel situ habeat membrorum, itaque per se patet, per ἀνθρωποπάθειαν hæc verba accipienda esse. Nam respicit hæc loquendi forma morem inter mortales usitatum, qui enim alteri honorem exhibere vult, is à dextris illum collocat, uti Salomon matrem honore excepturus collocavit ad dexteram suã. 1. Reg. 2. v. 19. Sicut & moris est inter homines, ut sponsus sponsam collocet à dexteris, quod etiam Psalmus 45. v. 10. de Christo Sponso & Ecclesia Sponsa imitatus est. Deinde quia natura docet hominem præcipuas actiones non lævâ sed dexterâ aggredi & exequi, adeò ut major virtus, majus robur, majorque agilitas in dextera quam sinistra sit, factum est quoque, ut per Metonymiam causæ pro effectu dextera idem significet in sacris quod robur, potentiam, & efficaciam operandi. Denique quia vel Reges vel Iudices cum conspicuam esse volunt majestatem vel

judicium suum, in solio residere solent, & in hunc finem se in regiis suis thronis & sellis è sublimiori loco ostentant, factum quoque inde est, ut vocabulum *Sedere* æquipollenter idē significet quod *regnare*. Atq; huius rei testem non tantum communem omnium linguarum usum, sed & ipsum Apostolum Paulum omni exceptione majorem habemus, qui 1. Corin. 15. hæc verba Psalmi allegans ὡδε λέγων, ubi Psalmus verbum *sedendi* habet, assumit verbū *regnandi*. Et hæc quidem hactenus maxima pars adversariorum nostrorum admittit: nisi quod Bullingerus aliquid novi infarciat, dum *sedendi* vocabulum etiam hic significare ait idem quod *quiescere*, proinde ut cum Numeri 32. ver. 6. dicitur, *nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam & vos hîc sedebitis*, id est, quiescetis, ut jam sensus huius articuli esse debeat: *Sede à dextris meis*, hoc est, quiesce à dexteris meis, quod in faciem Paulo interpreti contradicit, & contrarium est regno Christi, quandoquidem qui regnat, nihil minus faciat quam ut quiescat & sit ocioſus. Cum autem non generatim tantum de dextera, sed in specie de dextera Dei quæritur quid ea sit in hoc articulo, ibi major lis oritur:

Quid sit Dextera DEI?

Nam etsi luce multorum, testimoniorum Scripturæ convicti negare non ausint dexte-

dexteram significare in Sacris ipsam omnipotentiam Dei, incircumscriptam infinitatem Dei, infinitam majestatem & operationem Dei, veluti in exemplis patet Exod. 15. ver. 6. *Dextera tua, Domine, magnificata est in virtute, dextera tua Domine fregit inimicum.* Et Ps. 77. ve. 11. *Dextera Dei omnia potest mutare.* Psal. 118. v. 16. *Dextera Domini excelsa est, Dextera Domini facit fortia.* Vide & Psal. 139. per totum. Esai. 48. vers. 13. *Dextera Dei cœlos expandit, &c.* Tamen quando ad hunc articulum devenitur, ibi distinctionem & restrictionem dexteræ Dei faciunt, & opinantur, hoc in articulo non de illa dextera Dei γενικῶς, sed εἰδικῶς, de limitata quadam Dei dextera sermonem esse, quæ non extendat se ad omnia, sed quæ in cœlis sit tantum. Itaque præcipuè hoc loco considerandum venit:

An illa dextera DEI *ad quam Christus evectus est, sit vel cœlo vel beatorum receptaculo vel ullo alio modo aut loco sive supero sive infero limitata?*

Vel quod idem est: *An per dexteram Dei, ad quam consedit Christus intelligendum sit, dona tantum contribui finita non infinita?*

Principio hoc immotè præsupponimus, esse duos fidei articulos distinctos, ut quando

fatemur Christũ ascendisse ad cœlos, & Christum consedisse ad dexteram Dei Patris, quos confundendos non esse rigidè alias, rectè tamen ipsi urgere solent adversarii: nisi quod paulo post sui obliti alterum sessionis articulũ per ascensionem & cœlum limitant, ut expresse facit Bullingerus in Matth. Contra quem tamen ipse Calvinus disputat in primũ caput ad Ephes. super hæc verba: *Sedere eum fecit in cœlestibus?* inquiens: *Hic locus apertè ostendit si quis alius quid significet Dei Dextera, non locum scilicet aliquem, sed potestatem, quam Pater Christo contulit, ut eius nomine cœli & terræ imperium administret.* Et paulò post: *Cum autem dextera Dei cœlum & terram impleat, sequitur Regnum Christi ubique diffusum esse atque etiam virtutem.* Vnde perperam faciunt, qui ex sessione ad dexteram Dei conantur probare, Christũ non nisi in cœlo esse. Quod cum nemo Lutheranorũ fecerit vel dixerit unquam, consequens est, Calvinum hic proprium suum socium Bullingerum oppugnare.

Sic igitur adversariis nostris circa veritatem palantibus nos mentem nostram in testimoniis & argumentis sacræ scripturæ reddemus ἀμετοπλωτον, quæ sic de dextera Dei, ad quam Christus collocatus est, loquitur, ut nequaquam possit eius ulla vel limitatio vel finitio vel restrictio admitti.

Primò

Primò probatur hoc ipsum ex visione Danielis, cui in Spiritu longè antè ostensum est, quomodo Messias quingentis annis post ad dexteram Dei collocandus esset, ubi sic legitur Dan. 7. ver. 13. *Ecce cum nubibus cœli veniebat quasi Filius hominis usque ad antiquum dierum, & dedit ei potestatem & honorem & regnum, & omnes populi, tribus, linguæ servient illi, potestas eius potestas æterna est, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Unde sic argumentabimur:

Ea potestas, quæ temporis quantitate limitata non est, nec cœlo, nec ullius loci quantitate limitata est, aut limitari potest.

Sed potestas per sessionem ad dexteram Christo collata, temporis quantitate limitata non est; est enim æterna, non potest auferri, non potest corrumpi, ut in litera extat.

Ergo nec ullo loco limitari potest.

Secundò idem ex Psalmo 8. vers. 7. patet: *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* quod Epistola ad Ebræos sic explicat, capite 2. vers. 8. *In hoc quod ei subiecit omnia, nihil omisit illi non subiectum.*

In qua subjectione nihil omissum est, id non potest dici limitatum.

Sed in subjectione, quæ ratione dexteræ Dei Christo contigit, nihil omissum est.

Ergo

Ergo subjectio illa limitata non est: & per consequens nec ipsa dextera Dei, ex qua hæc subjectio pendet.

Tertio Matth. 28. vers. 18. dicit Christus: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Hoc dictum duplici modo refutat limitationem dexteræ Dei. Nam: Quod cœlum & terram occupat, non potest vel cœlo vel terræ limitatum dici.

Sed potestas hæc Christo per sessionem ad dexteram tributa cœlũ & terram occupat.

Ergo non potest esse vel hoc vel illo limitata.

Item:

Omnis potestas, finita potestas non est, qui enim omne dicit, nihil excludit: Et si finita potestas esset, non esset omnis.

Sed sedenti ad dexteram Patris data est omnis potestas.

Ergo potestas Christo data, vel, quod idem est, dextera Dei, ad quam Christus collocatus est, finita non est. Si quis glossam Bezæ (cuius vel ipsum Diabolum pudere debeat) obstrepat, qui dicit hoc loco vocabulum ἐξουσίας *auctoritatis* non δυνάμεως extare, ille ad harmoniam Evangelistarum remittatur: nam Lucæ 22. v. 69. πάσων hanc ἐξουσίαν sic interpretatur Christus, ut dicat, *A modo videbitis filium hominis sedentem à dexteris* δυνάμεως *&* θεῦ *potentiæ Dei.*

Dei. Et Matth. 25. ver. 31. dicitur *thronus maiestatis Christi*. Unde sic arguitur:

Δύναμις θεοῦ nullis finitur limitibus.

Πᾶσα ἐξουσία est δυνάμις θεοῦ ut probatur ex Luca.

Ergo: πᾶσα ἐξουσία nullis clauditur limitibus.

Quapropter etiam æquipollentia epitheta notentur, ut cùm Ebræ. 1. v. 4. dicitur *Christus consedisse in dextera maiestatis in excelsis, tanto præstantior factus Angelis, quanto excellentius nomen præ illis sortitus est.*

Hinc quartum sumitur Argumentum: Majestas quæ superat Angelorū majestatem, non nisi divina & infinita est. Ratio probationis est, quia in συστοιχίᾳ seu serie creaturarum, quam Dionysius, Epiphanius, & alii patres tenent, nihil creaturarum ex Sacris potest dari intermedium, inter Angelos & Deum: si detur, fingitur id sine fundamento Scripturæ.

Sed majestas per collocationem ad dexteram Christo collata, superat majestatem Angelicam.

Ergo divina & infinita est.

Quinto: quod Scriptura non limitat, cur nos limitemus?

Sed Scriptura de gloria Christo per sessionem ad dexteram collata loquens non limitat

tat illam gloriam ullâ creaturâ: nam Ioan. 13. v. 3. simpliciter legitur; *Sciebat* IESVS *quod omnia dedisset sibi Pater in manus.*

Ergo nos illam gloriam nullâ creaturâ limitatam esse intelligamus. Paulus 1. Corin. 15. v. 27. solum Patrem excipit qui subjecit omnia, quod ἐξήιρησις potiùs quàm limitatio est, cum Pater creatura non sit, & Paulus tantum ordinem personarum divinitatis hic tueatur & reservet.

Sexto. Ioannis 16. v. 5. orat Christus: *Pater glorifica me ea gloria apud temetipsum, quam habui priusquam mundus fieret.*

Gloria quæ apud Deum fuit antequam mundus fieret, nullo modo potest esse finita.

Sed gloria illa, quam per sessionem ad dexteram sibi fecit contribui Christus, & quam etiam impetravit apud Patrem, est illa gloria quæ fuit antequam fieret mundus.

Finita ergo esse non potest.

Item.

Gloria, quam habuit Christus ab æterno, non nisi infinita est.

Sed hanc ipsam occupat sedendo ad dexteram Patris.

Ergo infinitam gloriam occupat.

Septimo. Ponatur, dexteram Dei esse limitatam cœlo aut nubibus, tunc in extremo judicio pereuntibus cœlo vel nubibus, vel adhuc erit

erit limitata dextera Dei vel non erit. Si limitata erit dextera Dei, limitata erit sine limite, quod absurdū est: si nō erit limitata, Christus judicans mundū non sedebit amplius ad dexteram Dei ex hypothesi, quia Christus tantum debet tenere dexteram Dei cœlo inclusam.

At revera Christus etiam mundo jam consumto sedebit ad dexteram virtutis Dei, Matthæi 25. v. 31.

Ergo, Dextera illa nullo erit modo limitata.

Octavo, Illa Dei Dextera quæ in cœlestibus est & supra omnem principatum ac potestatem & virtutem & dominium est, & super omne, quod nominatur, non solum in hoc, verum etiam in futuro seculo, infinita est & non limitata.

Sed illa ipsa dextera Dei recepit Christum, Ephes. 1. v. 21. Phil. 2. v. 9.

Ergo, Illa ipsa Dei dextera ad quam Christus receptus est, infinita est & non limitata.

Nono: Quod omnes excedit cœlos, cœlo non clauditur vel finitur.

Dextera Dei, ad quam Christus ascendit, omnes excedit cœlos. *Ascendit enim super omnes cœlos, ut omnia impleret.* Eph. 1. v. 10.

Ergo dextera Dei cœlo non clauditur vel finitur.

Decimò: Omne, quod finitur vel limitatur, χειροποίητον manu factum seu creatum est.

Sed

Sed ſanctum ſanctorum, quod Chriſtus ingreſſus eſt, non eſt χειροποιητον Hebr. 9. v. 24.

Ergo non eſt finitum vel limitatum.

At vero ſanctum illud ſanctorum eſt dextera Dei patris, ad quam Chriſtus conſedit.

Ergo illa dextera Dei patris non eſt finita vel limitata.

Talia & infinita alia teſtimonia & rationes Scripturæ convincunt, cùm de ſeſſione ad dexteram Dei patris loquimur, ad quam exaltatus eſt Chriſtus, non ſomniandum eſſe de gloria quadam finita, vel finitis donis quamvis excellentibus, quomodocunque vocentur, ſed de infinita divina & æterna majeſtate Dei patris.

Nec magnificiendum eſt quod ex malè intellecto Pauli dicto Col. 3. v. 1. obſtrepunt: *quæ ſurſum ſunt quærite, ubi eſt Chriſtus in dextera Dei ſedens*, quaſi Chriſtus ſedeat tantùm ad dexteram Dei localiter ſurſum, non etiam deorſum. Nam injuria infertur textui, quod ea quæ ἀνθρωποπαθῶς intelligenda ſunt, intelligunt planè ἀνθρωπίνως. Cum enim vocabula loci & ſitus audiunt, uti ſunt, ſurſum, ubi, ſedens, ibi ſtatim fingunt ſibi noemata locorũ, intervallorum, ſitus &c. Cum tamen Paulus more humano loquens, ſenſu divino velit intelligi: quandoquidem talia ſint prædicata, qualia à ſubjectis eſſe permittuntur. Id enim

ἀνθρω-

ἀνθρωποπάθως est cum vulgo loqui, & cũ sapientibus sentire, aut, ut magis Theologicè loquar, ex humanis vocabulis abstrahere sensum divinum.

Quando ergo Paulus dicit, *quæ sursum sunt quærite*, sublimitatem & eminentiam rerum divinarum ratione mysterii in seſe, non ratione loci ad aliud, nobis sub oculos ponit, ita ut *sursum esse* non sit in prædicamento quantitatis aut situs, sed in prædicamento qualitatis. Simili modo vulgariter dicimus: Sublime hoc est, profundum hoc est, arduum hoc est, hoc supra me est: quod nimirum difficile est cognitu. Et contra: hoc est ante pedes; hoc est obvium; hoc est tritum; hoc facile intellectu est. Nam si quis particulam *sursum* hoc loco localiter accipiat sequetur patris aut Spiritus Sancti essentiam divinam vel non quærendam esse in cœlis, vel non in terris, vel nullibi quærendam esse, cum tota Trinitas non sit vel supra vel infra, sursum aut deorsum, sed ubique, & *in ipso vivamus, moveamur & simus*, Act. 13. v. 28. Pie enim Hildebertus in suis rythmis sic de Deo loquitur:

Super cuncta, subter cuncta,
Extra cuncta, intra cuncta,
Subter cuncta nec subtractus,
Super cuncta nec elatus,
Intra cuncta nec inclusus,

Extra cuncta nec excluſus.
Super totus præſidendo,
Subter totus ſuſtinendo.
Extra totus complectendo,
Intra totus in complendo.
Intra nuſquam coarctaris,
Extra nuſquam dilataris,
Subter nullo fatigaris,
Super nullo ſuſtentaris, &c.

Et Marcellus inquit:

Ergo ubicunque manet Deus, illic gloria ſecum
Stat ſua, & omne bonum & pulchrum reperies
ibidem.

At ipſi adverſarii cùm ſat diu particulam *ſurſum* ad locum conſtrinxerunt, tandem colophonis loco addunt, hoc eſſe ea *quæ ſurſum ſunt quærere*, ita ambulare, ut oportet eos qui credunt, quod cum Chriſto à mortuis modo in Spiritu reſuſcicati ſunt, & reſurrexerunt, & qui cives & hæredes vitæ æternæ facti ſunt, ut habet concio Amlingi ſuper hoc dictum.

Porrò particula *VBI* non eſt particula reſtrictionis, per quam dextera Dei ad locum ſupernum reſtringatur: non enim ſequitur.

Quærite Chriſtum ſurſum ubi eſt ad dexteram Dei ſedens.

Ergo, tantum Chriſtus ſurſum ſedet ad dexteram Dei, vel: Ergo dextera Dei tantum ſurſum eſt.

Aliás

Aliàs Paulus dixisset, Quærite Christum sursum, ubi tantùm est ad Dei Patris dexterã. Et ipse Calvinus non concedit, particulam *ubi* restringere dexteram Dei ad unũ cœli locum, cum inquit: *Quod ad dexteram Dei pertinet, non est inclusum cœlo, sed totum mundum implet.*

Sic ergo hactenus probavimus dexteram Dei, ad quam Christus elatus est, infinitam esse. Nunc porrò nos progredi oportet, & videre respectu cuius naturæ Christus in hoc Psalmo sit à patre suo cœlesti jussus sedere à dexteris suis.

Quod nomen CHRISTI vocabulum, complexum seu concretum sit, quo tota persona duabus constans naturis, divina & humana unitis, nominatur, extra aleam controversiæ est. Itaque non sufficerit dicere, Christum sedere ad dexteram Patris, aut Personam exaltatam esse ad Dei dexteram: Cum enim Christus aut persona Christi duabus diversis & distinctis constet naturis, explicitè & præcisè determinandum est, an secundum utramque, an secundum alterutram tantùm naturam, & utra ea sit, Christo contigerit illa exaltatio ad majestatem dexteræ Dei, de qua hactenus diximus? Quam nos Christo tantùm secundum humanam naturam contigisse, immotis Scripturæ convincemus testimoniis.

I. Sicut spiritus Sanctus in sacris dicitur *digitus DEI*. Matth. 12. v. 28. Luc. 11. v. 20. Ita Christus secundum divinam naturam est ipsa dextera Dei, uti & Esaiæ 53. v. 1. *brachium Dei* dicitur. Unde hæc infertur consequentia.

Juxta quam naturam Christus ipsa est Dei dextera, juxta illam non potest collocari ad dexteram Dei.

Sed Christus juxta divinam naturam est ipsa dextera Dei.

Ergo juxta illam non potest collocari ad dexteram Dei.

II. De Christo, quà Deus est, valet illud Malach. 3. v. 6. *Ego Deus & non mutor*, & illud Psal. 102. v. 28. Ebr. 1. v. 12. *tu idem ipse es*. Divinitas enim immutabilis est, & non potest exaltari amplius in seipsa: neque ulla Trinitatis persona respectu ad se mutuo vel inferior, vel inæqualior est. Si enim Deus Pater λόγον, qua λόγος, extolleret ad dexteram suam, λόγος Patri non esset æqualis ab æterno.

Sed infallibiter verum est, λόγον patri ab æterno æqualem esse.

Ergo, Deus pater λόγον, qua λόγος, ad dexteram suam extollere non potest.

Cæterum cum Deus ipse dicitur exaltari, ascendere & descendere, locutio per ἀνθρωποπάθειαν est explicanda: & non dicitur, quid fiat in sese, sed quid πρὸς ἡμᾶς dicatur.

III. Quic-

III. Quicquid datur Christo in tempore, secundum humanam naturam datur: Divinæ enim naturæ nihil accedere potest in tempore.

Sed exaltatio ad dexteram Dei Christo datur in tempore.

Ergo secundum humanam naturam datur. Vocabulum autem *dandi* est in his dictis Ioan. 3. v. 34. *Non ad mensuram dat Deus Spiritū: Pater diligit Filium & omnia dedit in manu eius.* Ioan. 5. v. 27. *Pater Filio dedit potestatem Iudiciū facere, quatenus filius hominis est.* Matth. 11. vers. 26. *Omnia mihi tradita sunt à patre.* Matth. 28. ver. 18. *Data est mihi omnis potestas.* Quæ dicta omnia loquuntur non de inauguratione ab æterno, sed de inaugurationis & decreti executione in tempore.

IV. Idem convincitur per Emphases & pondera verborum, quæ usurpat Spiritus sanctus, Philip. 2. ver. 9. *Propter quod & Deus ὑπερύψωσε superexaltavit, καὶ ἐχαρίσατο donavit illi ex gratia nomen supra omne nomen*: Nam inde sic certo concluditur:

Exaltatio, quæ fit ex gratia & gratioso dono, non competit CHRISTO quâ Deus est.

Sed illa exaltatio, quæ facta est per sessionem ad dexterā, fit ex gratia & gratioso dono.

Ergo exaltatio ad dexteram non competit CHRISTO quâ Deus est.

V. Cyrillus piaculum dicit respectu divinæ naturæ Christum appellare Dominum, πεποιημένον *factum*: ratione enim qua Deus est, non factus sed genitus est.

Appellatur autem à Petro Dominus factus per sessionem ad dexteram Act. 2. v. 36. *certissime sciat ergo domus Israël quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc IESVM quem vos crucifixistis.*

Ergo id ipsum respectu divinæ naturæ accipi non potest.

VI. Ibidem Act. 2. ver. 33. Petrus copulat & conjungit exaltationem ad dexteram, & acceptionem promissionis Spiritus sancti à patre. Unde ex loco parium sic licet argumentari:

Iuxta quam naturam Christus accepit spiritum Sanctum, juxta illam etiam exaltatus est ad dexteram Dei patris. Ratio est: quia unctio qua Christus accepit Spiritũ sanctum, est sine mensura, nemo autem potest spiritum Sanctum sine mensura accipere, nisi qui ad dexteram Dei exaltatur.

Sed Christus respectu humanæ naturæ accepit Spiritum sanctum & unctus est, respectu divinæ non accipit, sed spirat cum patre Spiritum sanctum, qui tàm à patre quàm à filio procedit.

Ergo

Ergo secundum humanam naturam tantum exaltatus est ad dexteram Patris.

VII. Quæ natura se exinanivit, ea & exaltata est.

Exinanivit autē se humana natura in Christo: divina n. natura exinanire se non potest.

Ergo & humana in Christo natura exaltata est.

Ad hanc argumentationem sacra Scriptura digitum intendit, quoties per particulam causalem statum exaltationis subjungit statui passionis & exinanitionis, veluti Philip. 2. vers. 8, *Humiliavit semetipsum factus obœdiens usq; ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit eum.* Et Apoc. 5. ver. 12. dicitur: *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem.*

VIII. In Epistola ad Ebræos 1. v. 4. dicitur: *Sedit ad dexteram maiestatis in excelsis, tantò melior Angelis effectus, quanto excellentius præ illis nomen hæreditavit.* In fontibus est verbum κληρονομεῖν *hæreditate accipere vel sorte.* Quod cum in tempore factum sit & Christus secundum divinam naturam non hæres sed Dominus sit vitæ æternæ, & nomen unigeniti filii Dei genitura habeat non sorte: consequitur, Christum qua homo est, nomen unigeniti Filii & cum nomine rem ipsam sortitum esse.

IX. Idem ex particula distinctiva *quatenus* patet quæ extat Ioan. 5. v. 27. *& potestatem dedit ei iudicium facere, quia* vel *quatenus Filius hominis est.* Nam potestas faciendi judicium dependet ex sessione ad dexteram.

Potestas faciendi judicium data est Christo quatenus Filius hominis est.

Ergo & ipsa sessio ad dexteram, ex qua dependet, contributa est Christo quatenus Filius hominis est.

Si quis hic arripiat dictionem *Filij hominis*, & arguat esse vocabulum concretum, & significare totam personam non naturam, ei obiicitur particula *quatenus* quæ restrictionis, discretionis, & distinctionis nota est. Quæ si prædicatum hoc loco concretum esset, negationem induceret, & nihil plane significaret, sed confunderet totum. Nos simile proferemus exemplum, si quis diceret: Christus quatenus filius Dei est creavit mundum, & quæreret ab adversariis, *Filius Dei*, essetne hoc loco vocabulum concretum vel abstractum? ille procul dubio hanc responsionem reportaret, etsi alias *filius Dei* sit vocabulum concretum, nunc tamen per distinctivam *quatenus* notare alterutram in Christo naturam, divinam scilicet. Aut nisi hoc concesserint, fateantur necesse est, filium Dei etiam quatenus homo est condidisse cœlum & terram: Quod in æternum.

num non dixerint. Distinctiva igitur *quatenus* limitat & assignat naturam ipsam respectu cuius prædicatum attribuatur.

X. Idem exigunt Theologicæ orthodoxorum Patrum regulæ, quæ tanti sunt momenti, ut si exactè non serventur in dogmate de Persona Christi, statim transitus fiat ad castra Arrianorum. Quales hæ sunt:

Cyrillus lib. 11. cap. 15. in Ioan. inquit: *Qui omnia possidet ut Deus, omnia recipit ut homo.* Basilius: *Non divinitas sed humanitas augmentum gloriæ accipit.* Athanasius serm. 4. contra Arrianos. *Cum ista verba depravant Arriani: Data est mihi omnis potestas*, item: *glorifica filium*: item dictum Petri: *fecit eum Dominum*: inquit: *Hoc intellectu ista omnia interpretemur, humanitus illũ ob corpus suum ista omnia loqui.* Et paulo post in oratione de salutari adventu Christi, contra Apollinarium hanc generalem constituit regulam, quam & Theodoretus recitat & approbat: *Quæcunq; dicit Scriptura accepisse filium, sive quod glorificatus sit filius, ratione illius humanitatis non deitatis loquitur.* Ambrosius lib. 5. de fide, cap. 7. *Didicisti quod omnia posit sibiipsi ipse subjicere, secundum operationem utique divinitatis: disce nunc quod secundum carnem omnia subiecta accipiat.* Et Ruffinus ex Cypriano dicit: *Sedere ad dexteram Patris carnis assumtæ mysterium est, neque enim corporeæ illi naturæ convenienter ista*

absque assumtione carnis adduntur, neque sedis cœlestis profectum divina natura sed humana conquirit. Ita sentiunt ad unum omnes, ut sententiæ patrum à nostris collectæ operosè demonstrant. Vide refutationem orthodoxi consensus. Et hæresis est Arrianorum, Christum aliquid accepisse in tempore ut Deum. Itemque Seleucianorum & Hermianorum, qui negarunt Salvatorem in carne sedere ad dexteram patris, &c. Contra quos orthodoxi patres semper pugnarunt. LVTHERVS in ultimis verbis Davidis sic filium Dei introducit loquentem: *Etsi ab æterno est mea potestas, tamen postquam homo esse cœpi, iam etiam secundum humanam naturam eandem potestatem in tempore accepi.*

OBIECTIO.

Sed inquies: Concedo ego Christum collocatum non esse ad dexteram Dei juxta divinam naturam simpliciter, quid vero si statuam, Christum quo ad personam exaltatum esse ad dexteram Dei, & ita neque secundum divinam neque humanam naturam simpliciter? Respons. Persona Christi non est tertium quid extra divinam & humanam naturam, sed persona Christi vel Christus ipse est illud σωλον seu ὅλον σωθεν totum compositum ex divina & humana natura, quæ personaliter in unum subjectum coierunt. Ergo

si quid rei subesse debeat huic formulæ credendi, personam esse exaltatam, necesse est hic idem intelligi, ac si quis dicat, Christum secundum utramque naturam exaltatum esse. Quod idem etiam importatur, si quis dicat Christum ratione officii quod respectu utriusque naturæ administrat exaltatum esse. Verum his loquendi formulis tantum abest, ut se explicet adversarius à prioribus argumentis, ut se pari modo ac si solam divinitatem exaltatam esse crederet implicet: Sive enim Christus secundum naturam solam, sive secundum divinam & humanam naturam inter se junctas, acquirat novam ex sessione majestatem, accedit nihilominus melioratio βελτίωσις Christo secundum divinam naturam, quod credere æquè Arrianum est ut prius. Nam hoc non liberabit divinitatem, si dicatur, propter quid ei accedat melioratio, dum aliquid ei addi conceditur, sed in eo laborandum, ut nihil penitus novæ dignitatis ei in tempore arrogari per sessionem ad dexteram demonstretur.

ALIA OBJECTIO.

Quid verò si hic Sadeel audiatur, qui novum vult videri invenisse modũ, quo aliquid novæ majestatis Christo etiam secundum divinam naturam tribui posse, contendit: Utens

exem-

exemplo Solis cum is vel nube vel oppoſita Luna obfuſcatus eſt, remota nube vel Luna non acquirit novum lumen, ſed clareſcit tantum remoto impedimento, ut dicere poſſis Solem clarificari? Sic etiam putat ſublata exinanitionis forma, Chriſtum quoad divinam naturam clarificari & exaltari? Sed unico Chriſti verbo hoc meteoron mentis peſſundatur, cum Ioan. 17. v. 5. inquit: *Pater glorifica me apud temetipſum* παρὰ σεαυτῷ. Nam ſi hæc glorificatio fieret tantum πρὸς ἡμᾶς, quoad homines, valeret fortaſſe aliquid hæc Philoſophatio, ſed quia expreſſe dicit Chriſtus: *glorifica apud temetipſum*, & dextera Patris non dicatur reſpectu hominum vel angelorum, ſed Patris reſpectu, evidens eſt, hoc ſimili majeſtatem Chriſti eclipſari & obſcurari, non declarari veritatem.

ALIA OBIECTIO.

Tandum unicum adhuc habent, quo ſibi mirè blandiuntur, & quo ſe nos belle exagitare poſſe autumant. Probavimus enim hactenus abundè dexteram Dei infinitam & omnipotentem eſſe, item Chriſtum ad infinitam illam dexteram Dei conſediſſe & quidè juxta humanam naturam. Ex quibus præmiſſis, quando concludimus, Chriſtum etiam ſecundum humanam naturam omnipræſentem & omni-

omnipotentem esse, vociferantur esse quatuor terminos in hoc syllogismo. Et hoc multi multis in scriptis exaggerant & inculcant, ut videantur Logici.

Verum illi nimis intelligendo faciunt ut nihil intelligant: nam si Theologi nostri, qui hoc argumento usi sunt pro rudioribus Dialecticæ, Theologiam suam scripsissent, potuissent aliis verbis & explicatioribus terminis formare hoc argumentum: ut etiam postea, stante eâdem consequentia, sic idem argumentum proposuerunt.

Sessio ad dexteram describit non finitam quandam gloriam, sed exaltationem ad infinitam majestatem & omnipotentiam Dei.

Hæc sessio ad dexteram contigit humanæ in Christo naturæ.

Ergo humanæ naturæ in Christo contigit non finita quædam gloria, sed exaltatio ad infinitam majestatem & omnipotentiam Dei.

Item:

Quicquid sedet ad totam infinitam dexteram Dei, id nullibi à dextera Dei sejungitur & separatur.

Christus secundum humanitatem sedet ad totam infinitam dexteram Dei.

Ergo Christus secundum humanitatem nullibi à dextera Dei separatur.

Porrò

Porrò.

Quicquid à dextera Dei non separatur, id cum dextera Dei ubique est.

Humana natura à dextera Dei non separatur.

Ergo cum dextera Dei ubique est.

Quod autem primum nostrum syllogismum attinet cùm argumentamur,

Dextera Dei est ubique.

Christus quâ homo sedet ad dexterã Dei.

Ergo Christus quâ homo est ubique.

Constanter negamus habere quatuor terminos. Remittimus enim adversarios in caput vicesimũ quintum li. 1. Analyt. priorũ, ubi docet Aristoteles de syllogismis compositis: inter quos occurrit etiam talis syllogismorũ species, quando multi prosyllogismi unam principalem spectant conclusionẽ, tunc enim unus dicitur syllogismus non simpliciter, sed σωδεσμῷ unus. Cuius unitatis ratione contingit sæpe, ut prosyllogismorum & principalis syllogismi propositiones ita conjungantur, ut ei qui omissas propositiones primo intuitu nõ capit, videatur syllogismꝰ, qui contractus est ex pluribus diversis, quatuor laborare terminis, ut alibi docuimus: Veluti in hoc nostro contingit syllogismo. Huius enim syllogismi duo prosyllogismi sunt, primus quo Maior probatur, secundus quo Minor. Prosyllogismus Majoris hic est. Quod.

Quod vis infinitum ubique est:
Dextera Dei est infinita,
Ergo dextera Dei ubique est.

Prosyllogismus verò Minoris hic est: (est,
Qui sedet ad dexterã omnipræsentẽ ubiq;
Christus quâ homo sedet ad dexteram
Dei omnipræsentem,
Ergo Christus quâ homo ubique est.

Hic major iterum probetur si opus sit:
Quod non est locꝰ, in eo nihil est ut in loco.
Dextera Dei non est locus.
Ergo in ea nihil est ut in loco.

Unde apparet occultari in nostro syllogismo illam propositionem, qui sedet ad dexterã omnipræsentem ubique est: sub qua si subsumatur minor: Christus qua homo, sedet ad dexteram Dei, evidentes erunt singuli termini & consequentia erit manifesta. Quando igitur Calviniani nos de inscitia logica accusare voluissent, dedissent operam prius, ne semetipsos propriæ ruditatis damnâssent. Tantum de tertio loco communi.

QVARTVS LOCVS
Communis.

QUomodo Psalmista mysterium utriusque naturæ in Christo haud obscurè insinuet, dum dicit, *Sedè à dextris meis*, id etiam diligenter observandum est. Quia enim audimus Christum collocandum esse ad dex-

teram

teram æterni Patris, itaque rectè hinc concludimus, tùm quod Christus verus homo, tùm quod verus Deus necessariò esse debeat. Nam cum Deus gloriam suam non det alteri, qui sit ἄλλος alter, hoc est, separata persona à Deo, ideo oportet hunc hominem, cui datur æterna potestas, non esse ἄλλον alium, sed tantum ἄλλο aliud, atque ita tamen, ut sit Deus natura. Quod contra Arrianos & Samosatenum merito tuemur. Sed deinceps quoque illud infertur: quandoquidem Deus suum proprium honorem, ut dictũ est, alteri non dat, qui non sit Deus, & non possit quoque honorem suum dare ei, qui tantùm sit Deus: Itaque colligitur rectè, eum qui ad dexteram Dei evectus est, non nudum Deum, sed simul & hominem esse, & eatenus ad dexteram Dei collocatum. Nam quod nudi hominis naturæ non competebat in solio Dei sedere, id accipiebat à vera Dei natura, ut competere posset, dum videlicet humana natura in ipsum Deum assumebatur, & in consortiũ divinæ majestatis personaliter evehebatur. Itaque ut acciperet sessionem ad dexteram Dei in tempore, humanæ naturæ, ut posset accipere, divinæ fuit.

QVINTVS LOCVS COMMVNIS.

QUia Christus secundum humanam naturam, ad tantum sublimitatis divinæ fasti-

fastigium ascendit, ut dictum est, agnoscamus illum multis modis Dominum nostrum & adoremus. Cum enim Dominus sit noster, quia verus Deus est, itaque illum sicut Dominum nostrum adoremus. Cumque præterea secundum humanam naturam factus sit Dominus noster, Actor. 2. v. 36. etiam secundum hanc naturam IESVM nostrum Dominum vocemus. Et quia insuper quatenus officio Mediatoris fungitur, Rex, Sacerdos & Redemtor generis humani Dominus noster est, ne hoc quidem nomine supersedeamus, IESVM Dominum nostrum vocare & venerari: Ut ita non simplici sed triplici quidem modo habeamus IESVM Christum invocare & adorare. Nam cum nemo, ut opinor, neget, objectum fidei nostræ & esse divinam, & esse quoque humanam in Christo naturam, quis inficias eat, etiam tàm divinam quàm humanam naturam in unione simul adorandam? Nihil obstante impudentis Danæi blasphemo ore, qui maledictum esse vult illum, qui carnem Christi brachium suum ponit: Sic enim perversè dicto Ierem. cap. 17. ver. 5. abutitur, quod etiam ad Christum applicat: quasi idem valeat de sacrosancta & adoranda Christi carne in personam τῦ λόγυ assumta, quod de nuda quorumvis peccatorum impotenti brachio & mortali carne: Cùm non videat cœcus, se

non tantum hac scripturæ tortura derogare Christo adorationis cultum, sed simul etiam omnem tollere fiduciam & fidem, quę hac ratione in carnem & sanguinem Christi vivificam nulli credenti esset collocanda. Si quis igitur veram fiduciam suam ponat vel vivens vel moriens in sanguinem IESV CHRISTI filii Dei, emundantem nos ab omnibus peccatis, an is eo ipso maledictus esset? & qui vera fide ederet carnem Christi & vera fide biberet sanguinem Christi in cœna vel extra cœnam, hoc est, qui crederet in sanguinem IesuChristi, nónne is eo ipso maledictus esset? Quare? quia poneret carnem Christi, quæ humana caro est, brachium suum, Danæo Iudice & vindice scilicet. Cur igitur si maledictus is est, qui carnem Christi brachium suum ponit, tam plenis buccis jubent tantum homines ore fidei comedere carnem Domini, hoc est, in carnem Domini credere, si maledictos omnes illos sciunt, qui etiam hanc Christi carnem brachiũ sibi ponunt. Nimirũ hi sunt illi fructus ἰδίας ἀπιλύσεως *propriæ solutionis* in Scriptura, cum Ioa. 6. v. 36. Zwingli° initio sic pervertat verba Christi, *Caro non prodest quicquã*, quasi Christus dixisset, caro mea non prodest quicquam. Qui error errorem peperit, ut nunc ne quidem carnem Christi etiam in unione velint coli & adorari. Nos igitur IESVM

CHRI-

CHRISTVM ut Deum & hominem sedentẽ ad dexteram Dei, & pleno usu dominii imperantem omnibus, uno eodemque λατρείας actu invocamus, adoramus, veneramur. *Nemo enim in Spiritu Dei loquens dicit Anathema IESVM, & nemo dicere Iesum Dominum, nisi in Spiritu sancto potest*, 1. Cor. 12. v. 3. Atque Philip. 2. ver. 10. inquit Paulus, *dedit ipsi nomen super omne nomen, ut in nomine Iesu flectatur omne genu cœlestium & terrestrium & inferorum. Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS CHRISTVS est in gloria Dei patris*, quem honorem cum Christo, ut Deo & Homini, exhibemus, sequitur irrefragabiliter, nos quoque certam in ipso fiduciam collocare Omniscientiæ, Omnipotentiæ, & Omnipræsentiæ: nimirum quod nos exaudire, nos juvare, nobisq; in omnibus necessitatibus nostris, ut Deus & Homo præsenter adesse possit & velit. Nam si gemitus nostros ut Deus & homo non capit, cur & Deum & Hominem invocamus? Et quis nolit Iesum Christum sibi in suis calamitatibus ubique locorum præsentem adesse, etiam in medio inimicorum, ut Deum & hominem simul, quandoquidem id multum habeat consolationis, quod λόγος ubicunque est, carnem nostram sibi habeat præsentissimam, & quod ubicunque adest, non adsit, nisi *incarnatus*.

SEXTVS LOCVS COMMVNIS.

MAgno nobis honori ducamꝰ, quod carnem noſtram per ſeſſionem ad dexteram Dei Patris in cœleſte cœleſtis dignitatis faſtigium ſublimatã eſſe accipimus. Hinc enim nobis magna prærogativa accedit, tanta videlicet, ut omnem Angelorum dignitatem ſuperemus. *Ad quem enim Angelorum dixit, Sede à dextris meis?* Ebr. 1. v. 13. unde & Apoſtolus nos omnes felices eſſe prædicat, cum ad Epheſ. 2. v. 6. dicit: *Conſedere nos fecit in ſupercœleſtibus in Chriſto Ieſu.* Qua de re pulchrè Tertullianus, de reſurrectione carnis: *Quemadmodum Chriſtus nobis reliquit arrhabonem Spiritus, ita à nobis accepit arrhabonem carnis, & invexit in cœlum pignus totius ſummæ, quandoque iſtuc redigendæ. Securi eſto Caro & Sanguis, uſurpaſtis iam cœlum & regnum Dei in Chriſto. Iam peccata expiata ſunt, cœlum recluſum eſt, ſpes immortalitatis confirmata eſt.* Et Auguſtinus inquit in Meditationibus: *Eſt in ipſo IESV CHRISTO Domino noſtro uniuſcuiuſque noſtrum portio caro & ſanguis. Vbi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo. Vbi caro mea glorificatur, ibi glorioſum me eſſe cognoſco. Vbi ſanguis meus dominatur, ibi dominari me ſentio. Quamvis peccator ſim, de hac communione gratiæ non diffido: & ſi peccata mea prohibent, ſubſtan-*

stantia mea requirit. Et si delicta mea me excludunt naturæ communio non repellit. Et Bernhardus inquit: *Caro mea sedet ad dexteram Dei, cur ergo timeam?*

SEPTIMVS LOCVS COMMVNIS.

POrrò sicut Stephano magnæ fuit consolationi, quod Christum videret suis oculis stantem à dexteris Dei, Actor. 7. v. 55. ita nos quoque CHRISTVM oculis fidei intueamur & agnoscamus, stantem à dextris Dei, ut patronum & advocatum nostrum, sedentem verò ut judicem. Piis enim stat, impiis sedet, hoc est, pro credentibus peccatoribus intercedit, impœnitentes vero judicat & damnat. Sic enim erigit pios Paulus Roman. 8. v. 34. *Quis est qui condemnet? Christus mortuus est, imò qui & resurrexit, est in dextera Dei, qui interpellat pro nobis.* Et Ioan. 1. cap. 2. ver. 1. inquit: *Si quis peccaverit advocatum habemus apud patrem IESVM CHRISTVM iustum.* Impios autem, qui judex & severus vindex futurus est, terret hac sua sessione Luc. 22. v. 69. inquiens: *Amodò erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.* Quapropter etiam nos admoneamur, ne quid contra Christum judicem universi peccemus, ne & nobis sit severus & immitis Iudex, sed clemens. Unde de nova conversatio-

nis noſtræ forma admoneamur, ut illic ſemper ſit converſationis noſtræ animus & ſpiritus, ubi Chriſtus caro noſtra & os de oſſibus noſtris ſedet, & quæramus non quæ ſunt terrena, ſed quæ ſunt cœleſtia : cuius nos Apoſtolus Paulus admonet Col. 3. ver. 1. inquiens: *Si igitur conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Et Philip. 3. v. 20. *Noſtrum πολίτευμα, noſtra converſatio, in cœlis eſt, unde etiam Salvatorem expectamus Dominum IESVM CHRISTVM.* Aſcendamus igitur affectu, donec ſequamur effectu, quod pulchrè Bernhardus in ſerm. de aſcenſione : *Levemus*, inquit, *fratres mei, levemus in cœlum corda cum manibus, & aſcendentem Dominum ſequi velut quibuſdam paſſibus devotionis & fidei contendamus : Sequamur fratres, ſequamur agnum, quocunque ierit, ſequamur patientem, ſequamur & reſurgentem, ſequamur multò libentius aſcendentem. Crucifigatur vetus homo noſter ſimul cum illo, ut ultra non ſerviamus peccato, ſed in novitate vitæ ambulemus.* Idem inquit : *Sequamur Domine, te, per te, ad te, ſequamur te, quia via : per te, quia vita, ad te, quia veritas, ad quam tendimus & cuius viſione beati erimus.*

OCTAVVS LOCVS communis.

CAvendum vero nobis eſt ab inimicis, quos habituros nos eſſe in fatis eſt quá diu

diu in corpore peregrinamur à Domino, 2. Cor. 5. v. 6. Nam si Christus sedens ad dexteram Dei inimicos habet in mundo, quidni multo amplius nos habeamus, qui adhuc in mundo sumus? Et si Diabolus ipsum caput nostrum Christum adortus est, an nobis suis membris parcat? Sed interim meminerimus scabelli pedum Christi, ad quod collocandi & deturbandi sunt hostes. Christus enim contritor est capitis Serpentini Gen. 3. v. 5. Eandemque victoriam nobis largitur, ut tam certa nobis sit parta victoria, ac si ipsi primitus conculcassemus hostes pedibus nostris. Quapropter & Paulus dicit Roman. 16. v. 20. *Deus pacis conteret Satanam sub pedibus nostris.* Meminerimus etiam quod Deus Pater hic appellet hostes non tantum hostes populi, sed ipsius Christi filii sui hostes. Principaliter enim Christo se opponunt, non nobis: ita cum Saulus, postea Paulus dictus, Christianos persequeretur, non dicebat filius Dei, Saule, quid meos persequeris? sed, quid me persequeris? Act. 9. vers. 4. Et tunc benè de nobis agitur, quando ita Christum passioni nostræ una implicare possumus, quod & Psalmista in promtu habet, Psalm. 74. v. 22. cum inquit: *Exurge Domine, iudica causam TVAM, memor esto imperiorum tuorum, &c.* quod si fecerimus, habebimus talem propugnatorem, qui deponet,

abiciſet, proſternet hoſtes ſuos, noſtroſque ad ſcabellum ſuum, ut æterna pace gaudere valeamus.

SECUNDA PARS
Pſalmi.

PARAPHRASIS.

REcenſuit hactenus Propheta quid Deus Pater dixerit filio ſuo, quidque majeſtatis ipſi contribuerit in cœlis, nunc convertit ſermonem ſuum ad ipſum Filium Dei Meſſiam, & quid Deus Pater conſtituerit ſe facturum eſſe de Meſſiæ regno in terris, exponit amplius, inquiens:

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Vaticinium his verbis edit Vates de egreſſu & exortu regni Meſſiæ. Habebis, vult dicere, regnum aliquod certum certamque gubernationem. Quam per Metonymiam appellat *Virgam* ſeu *Sceptrum*, מַטֵּה *Matteh*, *Virga* eſt à radice נָטָה *Natah*, quod ſignificat *inclinare*: eò quod in virgam inclinantes incumbamus, quales virgas paſtores geſtant: vel quod inclinando aliquid jubeamus, ut reges ſceptris ſuis ſolent. Eſt ergò virga regiminis vel rectura, paſtoratus & imperii ſignum, quæ Epitheto ornatur: dicitur enim *virga virtutis, fortitudinis, ſeu potentiæ*, id eſt virga fortis & robuſta,

busta, qua regnum grande & amplum significatur, quod deputavit Messiæ Deus Pater, idq; geret hic apud nos in terris.. Quia verò variæ & infinitæ quidem sunt provinciæ in tam vasta terræ mole, locus aliquis certus deputandus est, quem hoc regnum occupet, ne mens quærens aut expectans Messiam aut aberret aut ignoret ubi sit tanti Regis sedes. Designat autem Propheta locum valdè celebrem & illustrem, montem *Sion*, cuius significatio valdè apposita est hoc loco, vox *Sion* enim significat *speculam*. In specula ergo excelsa excelsi montis Sionii Deus Pater collocabit sedem huius regni: ita tamen ut tantùm emittat Sceptrum ex Sion. Etsi enim mons hic valdè sit augustus, angustior tamen est, quam ut amplitudinem huius tanti regni comprehendere possit. Erit igitur quidem in hoc monte initium huius regni, sed non tota plenitudo huius regni tam arctis comprehendetur limitibus. Addit igitur:

Dominare in medio inimicorum tuorum.] Hoc est, dominatus Messiæ extendet sese etiã extra ambitum populi Sionii seu Judaici, qui ratione sanguinis erant amici Messiæ & progredietur etiam usque ad inimicos suos: tàm longè, tamque latè disseminabitur hoc regnũ per totum orbem terrarũ, & necesse erit gentes quoque asciscí & colligi in consortium

huius regni. Etsi enim gentes sunt hostes Christi, non tamen prædominabuntur Christo, sed prædominabitur illis, eritque in medio inimicorum suorum, uti hic dicitur, reddetque illos participes tutelæ suæ, & reliquorum bonorum, quæ pro natura huius regni distribuuntur & administrantur.

Sed dices: quid audio? Messias gestaturus est sceptrum & fortiter est dominaturus, Ergóne erit rex Politicus & Mundanus? Diximus paulo ante vocem מטה *Matteh*, *Virgam*, utrumque significare & sceptrum Regis & virgam Pastoris, quale Moyses gessit Exod. 4. v. 2. Non igitur statim hac voce importatur sensus de regno Politico. Et quod ad formam regiminis attinet, quæ hic obscurius posita est, consulenda sunt alia loca, quæ aptiora sunt & clariora. Inprimis quod apud Esaiam elegans est cum cap. 11. v. 4. Virgam hanc *virgam oris sui* appellat, innuens regnum Christi futurũ esse orale doctrinale seu prædicatorium: quod in paulo subsequentibus ex consideratione Sacerdotii Christi planius reddetur. Et quis nescit solenne esse Prophetis, verbis è trivio mutuatis regnum Christi spirituale adumbrare?

Tecum Principium] Versus hic tertius, qui sequitur, valde obscuratus est ab interpretibus tàm Græcis quàm Latinis, unde factum est,

est, ut non tantum lectio, sed & postea mens versionis & interpretationis longissimè recesserit à fontibus. Vulgariter ita sonat: *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te.* Quod longè aliter apud Hebræos sonat: Sic enim Pagninus ad verbum habet: *Populus tuus devotionum in die fortitudinis tuæ, in decoribus sanctitatis, à vulva ab aurora tibi ros nativitatis tuæ.* Senepfius ita: *Populus tuus spontaneus in die victoriæ tuæ, in ornatu sancto, ex utero ab aurora tibi ros nativitatis tuæ.* Osiander ita: *Populus tuus spontaneus in die victoriæ tuæ in decore sancto, de utero ante auroram, est tibi ros nativitatis tuæ.*

Quem sensum ut brevicula paraphrasi exprimeret Lutherus, sic interpretatus est: *Post victoriam tuam populus tuus sponte sacrificavit tibi, in sancto ornatu: filij tui generantur tibi ut ros ex aurora.* Et hi omnes Hebræos fontes sequuntur. In altera parte huius Versus etiam magna varietas est inter Græcos. Nam Epiphanius lib. 2. tom. 2. de hæresi Samosateni, recenset sex diversas interpretationes super hæc verba: *Ex utero ante Luciferum genui te.* Prima est septuaginta interpretum, quæ sic habet: ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε, hoc est, *ex ventre ante Luciferum genui te.*

Secunda est Aquilæ: ἀπὸ μήτρας ἐξορθησμῆνης

μήτρης σοι δρόσος παιδιότητός σε, hoc est, *ex utero excitatæ infantiæ tuæ tibi ros.*

Tertia est Symmachi: ὡς καὶ ἔρθρον δρόσος ἡ νεότης σου hoc est, *veluti diluculo roris iuventus tua.*

Quarta est Theodotionis: ἐκ μήτρας ἀπὸ πρωὶ νεότητός σε, hoc est, *ex matrice à matutina iuventutis tuæ.*

Quinta: ἐκ μήτρας ἀπὸ ἔρθρου σοι δρόσος ἐν νεότητί σε. *Ex utero à matutino tibi ros in iuventute tua.*

Sexta editio sic denique habet: ἐκ γαστρὸς ζητήσουσί σε δρόσος νεότητός σε, *Ex ventre quærent te ros iuventutis tuæ.*

Sed quid attinet omnes interpretum varietates huc congerere? præstat de simplici & plano veritatem Hebraicam delibare, & ex illa probabiliorem sententiam elicere. Ubi Latinus interpres dicit: *Tecum principium*, ibi Hebræus habet עַמְּךָ *Ammecha*, populus tuus. Pro quo Græci non satis considerantes puncta subtrata legerunt עִמָּךְ *Immecha*, quod *tecum* significat. Et vocabulum נְדָבוֹת *Nedaboth*, *liberalitatum*, *munificentiarum*, *spontaneitatum*, converterunt in נְדִיבִים *Nedibim*, Sic enim *principes* appellantur à munificentia & liberalitate: atque quia apud Græcos ubi μετὰ σὲ ἡ ἀρχὴ legitur, vocabulum ἀρχὴ utrumque

que tàm principatum, quàm principiũ significat, factum est ut Latinus interpres *principium* pro *principatu* arripuerit. Imo etiam ipsi Græci vocabulum ἀρχῆς non pro principatu, sed pro principio sumserunt, quod posteà varias induxit speculationes, filium in principio hoc est, in Patre esse: orthodoxas illas quidem, sed non ad rem, quod ex Cyrillo patet, lib. 1. in Ioan. Quibus missis hic est probabilissimus horum verborum sensus, quod Propheta vaticinetur de populo Messiæ: Cum enim Messias regnum habiturus sit, dubium non est, quin & populum in hoc suo regno sit habiturus: de cuius populi obedientia hoc prædicat, quod futura sit promta, spontanea, liberalis: secus quam se habent nonnullorum populorũ mores, qui quomodocunq; terreantur, terantur, cogantur, vix tamen rebellionem dediscere possunt. Christus enim non habebit populum quem gladio sibi vel colligat vel metu gladii coërceat & contineat in obedientia: Verbum enim quo regnat, inflectit animum, & dat spiritum ad paritionem promtum & proclivem. Serviet igitur & obediet hic populus suo regi Christo sponte & quidem *in ornatu Sancto*, *sanctęq; decoro*: quo intelligitur habitus fidei, pietatis & omnium Christianarum virtutum, quibus hic Populus tanquam veste circumcinctus est: non futili

auro

auro & argento, quod coram hoc Rege nos decoros non reddit. Sanctus enim hic ornatus dicitur quia internus & quia potissimum animi decus est. Habemus breviter sensum priorum verborum in his versiculis: *Ex utero ante auroram tibi ros nativitatis tuæ.* De varietate λέξεως prius dictum est, sed de sensu horum verborum, quæ de nativitate quadam loquuntur, etiam se multum macerant interpretes, quorum diversitas ad duo potest redigi capita, quidã enim sic hæc verba accipiunt, quod sonent de populo Christi: quidam verò quod loquantur de ipso Christo. Et horum qui de Christo intelligunt, iterum duplex interpretatio est: aut enim referunt illa ad divinam nativitatem Christi aut ad humanam. Nos judicamus sine ullo gravi errore, & analogiâ fidei benè salvâ, posse omnium horum interpretũ sententias simul admitti. Qui de populo Christi accipiunt, eorum mens hæc est: Populum, ô Messia, habebis, ut dictum est, obædientem, spontaneum & tibi in ornatu sancto servientem: sed istius populi generatio mirabiliter edetur: delabetur enim cœlitus haud secus sicut ros ab alto generationé capit: non enim populus tuus tibi generabitur ex carne aut voluntate viri, sed ex insensili & occulta vi Spiritus sancti regenerantis corda. Hunc sensum verisimilem reddit Michæas cap. 5. v. 7. cum

etiam

etiam eadem similitudine utitur inquiens: *Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum, quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam.* Atque ita erit sensus horum verborum de mysterio regenerationis.

Sed qui de ipso Christo intelligunt inter eos Tertullianus est, qui his verbis docet contineri generationem Christi secundum humanam naturam. Sic enim habet lib 5. adversus Marcionem cap .9. *Etsi de toto populo Deus ait filios generari, non tamen adiecit ex utero. Cur autem adiecit ex utero tàm vanè, quasi aliquis hominum ex utero natus dubitaretur, nisi qui curiosius voluit intelligi in Christum, ex utero generavi te, id est, ex solo utero sine viri semine carni deputans ex utero Spiritus?* Quamvis in libro ad Praxeam cap.7. videatur hæc verba etiam applicare ad generationem Divinitatis. Iustinus in Dialogo cum Triphone Judæo mihi pagin. 242. confert hoc dictum *Ex utero ante Luciferum genui te,* cum illo Esaiæ: *Ecce virgo in utero concipiet & pariet Filium*, atque ita de nativitate humana quæ per virginem fiebat interpretatur. Quam sententiam secutus Galatinus lib. 3. cap. 17. & lib. 7. cap. 2. affert aliquot veterum Rabinorum testimonia, quæ *hoc ipsum* de novo & admirando *generationis* modo ex virgine sine masculo acceperunt.

Sunt

Sunt alii patres, qui quidem de Christo etiam hæc verba accipiunt, sed quò ad divinam generationem. Epiphanius loco paulò ante notato mihi pag. 200. lib. 2. Tom. 2. inquit: *Ille verò in Prophetis de Filio declarat, quod ex ipso verè genitus est Deus ex Deo, Deus verus ex Deo vero nõ extrinsecus existens, sed ex essentia ipsius, dixit in Davide loquens, ex ventre ante Luciferũ genui te: ante Luciferum, quasi dicat, antequam esset quid & creatum esset* Simili modo Athanasius disputatione, quam contra Arrium in Niceno concilio habuit, inquit: *Deus loquens ad suum Filium per Prophetam, ex utero ante Luciferum genui te, indicat per hoc ex paterna substantia Filium prodiisse. Quid ais? Ventrémne habet Deus? Atqui iam antea dixi, sacras scripturas ob nostram imbecillitatem subinde humanis similitudinibus de Deo loqui, non quod Deus talis sit, sed ut nos corporalibus exemplis piè de divinis cogitemus. Nulla igitur alia de causa uterum nominat nisi ut doceat, filium ex patris substantia genitum esse intelligi debere.* Idem oratione quinta contra Arrianos reddit rationem, qui factum sit quod hoc dictum quidam ad uterum Mariæ transtulerint, nempe quod putârint, nimis sordidum esse Deo tribuere uterum, quos prolixè ibidem refutat. Basilius hunc sequens inquit: *Vteri meminit, ut exprimat generationis huius veritatem: ante Luciferum inquit: hoc est, antequam fieret Lucifer.*

Cyril.

Cyrillus lib. 1. in Ioannem de his verbis inquit: *Hæc qui rectè dici negant, cum generare Patrem ex utero audiant, uterum & dolores partus intelligunt. Sed respondemus, nihil aliud in Deo uterum significare, quam propriam filij ex eo generationem.* Hieronymus in hunc Psalmum inquit: *Ipse Deus Pater, qui non assumsit hominem, loquitur quasi homo: ex utero ante Luciferum genui te: Non habeo uterum sed non possum me aliter indicare Patrem, nisi hominis verbis locutus fuero: Ex utero dicit de natura sua, de suis visceribus, de substantia sua, de medullis divinitatis suæ.* Et Hilarius lib. 12. de Trinitate: *Præclara vox Patris est, ex utero ante Luciferum genui te: non præiudicatur à Deo per infirmitatem nostræ intelligentiæ, ut per id, quod ex utero genuisse se dixit ex partibus internis externisq; per membra coëuntibus tanquam corporalium causarum originibus consistat, cum extra naturalium necessitatum causas liber atque absolutus naturæ totius Dominus manens proprietatem nativitatis unigeniti sui, indemutabilis naturæ suæ virtute significet.*

Ambrosius lib. 1. cap. 6. contra Arrianos ostendit ex hoc dicto, cum cæteris, filium Dei non creatum sed genitum esse à Patre: *Pater enim dixit: Ego ex utero ante Luciferum genui te.*

Denique sunt nonnulli Patres, qui utramque sententiam conjungunt, ut tàm de divina quàm de humana generatione accipiant, qui omnes Augustinum sequuntur. Nam etsi is

hæc verba lib. 3. cap. 5. de mirabilibus Sacræ scripturæ. Item lib. de Trinitat. & unitate Dei cap. 1. tantum de divina nativitate accipit: Tamen libr. 3. cap. 18. contra Maximinū Arrianum disputans de utrâque nativitate Filii Dei intelligit, inquiens: *Sive ex persona sua hoc Propheta dicat ad Dominum Iesum: sive ex persona Patris ad Filium, cum ego ambas generationes Christi, & ex Deo Patre sine tempore, & ex homine matre in plenitudine temporis accipiam, venerer & prædicem, non est hoc testimonium adversum me, &c.* Sufficit de sensu horum verborum ex sententia Patrum dixisse, ex quibus quoscunque fuerimus secuti, habebimus abundè, quod eruditè nos moneant.

LOCI COMMVNES SECVNDÆ PARTIS.

I.

CHristum à Deo Patribus promissum regem esse debere, tam certum est ex hoc & infinitis aliis Psalmis & vaticiniis, ut ne ipsi quidem Iudęi quamvis excæcati, id negent aut negarint unquam. Imò vero hic ipse Messiæ titulus sic illorum animos & oculos perstrinxit, ut Christo nostro fidem adhibendam esse non putarint. In eo igitur utrinque convenit, an Messias rex sit, sed in eo non convenit, qualis is rex sit futurus. Discamus igitur

tur naturam & qualitatem huius regni ita agnoscere, ut semper memores simus bonæ istius confessionis ut Paulus nominat 1.Tim. 6. v.15. quam ipse Christus coram Pilato edidit, Ioan. 18. ver. 37. *regnum meum non est de hoc mundo, &c.* ne si sceptri, gladii, coronæ, dominii alicubi mentio fiat, nos statim mundanum nobis regem somniemus. Multis autem modis distinguitur regnum Christi à regnis huius mundi: veluti primo ratione originis: Nam etsi omnis secularis potestas & magistratus à Deo ordinatus sit, & inde originem trahat, tamen fit illud tantum mediatè & mutabiliter in terris. Christi autem potestas immediatè & immutabiliter è cœlis est. Quod discrimen evidenter videre est Dan. 2. ver. 14. nam cum Daniel reliquarum Monarchiarum mentionem feciſſet, distinctè postea subijcit: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnū, quod in æternum nō dissipabitur, quæ regni constitutio fiet sine manibus*, hoc est, planè erit diversa à prioribus, & ex nulla hominum præviſione calculo vel voto pendebit, sed puræ simpliciter & immediatè à solo Deo constituetur. Atque ideo licet reliqui reges etjam uncti à Deo dicuntur, tamen hæc unctio qua Christus unctus est, longè excellentior & divinior est, & sine mensura facta est præ consortibus suis, Psalm. 45. v. 8. Secundo

ipsa regis persona est diversissima à reliquis terræ regibus quantumvis magnis: quoscunque enim magnos Alexandros, Constantinos, Carolos nominâris, hos omnes in universum superat hic rex, qui rex regum & Dominus dominantium est, 1. Timoth. 6. vers. 15. Deus ter Max. ter Opt. imò Deus & homo in una Persona, cui similis non est in cœlo & in terra. Tertio differt etiam hoc regnum ab aliis, ratione amplitudinis: nullum enim regnũ est, fuit aut erit, quod absolute sit Catholicum & Monarchicum, tum ratione loci, tùm temporis, quàm solum Christi regnum, quod supergreditur & includit omnia totius mundi regna, sicut Daniel loco supra citato, per lapidem de monte abscissum præfigurat & prædictum est, Psalm. 2. v. 8. Psalm. 72. ver. 8. & 17. Esaiæ 9. ver. 5. 7. Quarto differt regnum Christi à reliquis regnis ratione diversi modi administrandi: Nam bona quæ administrantur, sunt spiritualia, ut dicitur Rom. 14. v. 17. *Non est regnum Dei esca & potus, sed justicia & pax & gaudium in Spiritu sancto.* Arma quibus administrantur itidem non sunt carnalia sed spiritualia, 2. Corinth. 10. v. 4. Et ipsa regiminis forma spiritualis est, & mundo planè contraria. Hic enim rex sic regnat, ut doceat contemnere, quæ mundus amat, & amare quæ mundus contemnit. Et tandem ipse fructus

huius

huius regiminis non est carnalis, sed Spiritualis, interna scilicet voluptas in Deo tendens finaliter in cælum, ubi nostrum πολίτευμα est, Philip. 3. v. 20. Et si qui sunt plures modi quibus regnum Christi à regnis mundi distinguitur. Quapropter si de Christi regno rectè statuere voluerimus, latronem in cruce pendentem imitemur, qui Christum in medio despectu & cruciatu passionis suæ, cum nihil regium in ipso inveniret, admiratus & confessus est. De quo pulcherrimè Augustinus: *Dic, ô latro, ubi thronus est ex Saphyro? ubi Cherubin & exercitus cœli? ubi corona, Sceptrum & purpura, ut eum dicas regem? Vidésne coronam aliam, quam spineam, Sceptrum aliud quam clavos, aliam purpuram quam sanguinem, alium thronum quam crucem, alios ministros, quam carnifices, quid ergo regium vides?*

SECVNDVS LOCVS COMMVNIS.

INitium regni sui Christus è Iudæis sumet, ut dicitur Ioan. 4. ver. 23. *Salus ex Iudæis est.* Et Ioan. 1. v. 49. inquit Nathanaël: *tu es rex in Israël.* Et hoc in loco dicitur: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, juxta consonantiam vaticinii Esaiæ 2. v. 3. *Docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex & verbum Domini in Hierusalem.* Quibus verbis nō tantum confirmatur, quod hîc dicitur

de Sceptro emittendo ex Sion, sed & explicatur, quid per *Sceptrum* intelligendū sit, nempe doctrina, lex & verbum Domini, quo erudiemur de semitis Dei nostri. Quod Psalmista Psalm. 45. v. 7. *Virgam rectitudinis*: Et Esaias 11. v. 4. *Virgam oris* appellat.

TERTIVS LOCVS COMMVNIS.

ANnotatio loci tam accurata, quæ ex monte Sion petitur, unde Sceptrū spirituale Christi emittendum est, non autem ex monte Sinai, docet futuram esse hanc doctrinam Sioniam & aliam, longeque diversam ab illâ, quam Deus in monte Sinai promulgavit. Nam si doctrina & lex Sinaica sufficisset, quid opus fuisset nova promissione & expectatione novæ doctrinæ ex Sion & Hierusalem emittendæ? Hæc doctrina Evangelii, illa legis propriè sic dicta erit. Quod non tantum ad accuratam distinctionem legis & Evangelii inter se, sed & ad prærogativam, quam pro lege Evangelium habet, constituendam facit.

QVARTVS LOCVS COMMVNIS.

EAdem annotatio loci erudit quoque nos de tempore adventus Messiæ, illud nimirum,

rum jamdudum præterlapsum esse, neque restare ullam amplius emissionem Sceptri ex Sion. Nam quod minatus est Micheas cap. 3. ver. ult. *Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelsa sylvarum.* Id Deus propter peccata Iudæorum tempore captivitatis Babylonicæ & postremo per Titum & Adrianũ executus est, montemque hunc penitus complanari & perverti fecit, ita ut hodiè Epiphanio teste altitudo illa quæ olim erat in Sione, & amœnus ille tractus montis, qui universæ terræ exultatione fundabatur, ut dicitur Psal. 48. v. 3. plane jam humiliatus & deiectus sit. Cum igitur Sion amplius non sit, quis esset tam vesanus, qui spem vanam de novo novi Messiæ Sceptro ex Sion emittendo creari sibi pateretur?

QVINTVS LOCVS COMMVNIS.

QUod Sceptrum regni emittendum est ex Sion, non vero in Sion terminandum, id nos monet de duplici regno Christi, vel potius de duplici statu unius regni Christi, nempe quod aliud vocamus regnum gratiæ, aliud regnum potentiæ, quibus alii addunt regnum gloriæ. Regnum gratiæ, quod per ordinarium ministerium verbi & sacramentorum CHRISTVS administrat, & quo

efficaciter dominatur in cordibus hominum convertendis, illuminandis, justificandis & salvandis, id in Sion, hoc est, Ecclesiæ terminis continetur. Qui mons Sion etsi nunc sensibiliter complanatus sit, spiritualiter tamen excellentior factus est omnibus montibus, Mich. 4. ver. 1. id est, hæc ecclesia novi Testamenti jam non amplius arcta est, ut in veteri Testamento fuit, sed Catholica & universalis, ita ut pertigerit quoque ad omnes gentes in omnibus mundi plagis, quæ in consortium unius & eiusdem communionis sanctorum coierunt, idque non humanis viribus, sed ubique Domino cooperante & sermonem illorum confirmante per signa subsequentia, Mar. 16. v. 20. Regnum potentiæ vero multo latius se extendit, & non concluditur solius Ecclesiæ finibus, sed diffunditur per omnes angulos & fines totius universi, & attingit omnes creaturas rationales & irrationales, visibiles & invisibiles. Quod potentiæ regnum jam CHRISTVS pleno usu & summo vigore administrat, evectus ad dexteram Dei Patris, idque in medio inimicorum suorum *verus Immanuel θεάνθρωπος, consilia illorum improba dissipans*, Esai. 8. v. 10. *& sceptro ferreo capita illorum confringens*, Psalm. 2. v. 9. *Constitutus supra omnia opera manuum suarum, omnia subiecta habens sub pedibus suis, oves & boves universas, insuper & pe-*

cora

cora campi, volucres cœli & pisces maris, qui perambulant semitas maris, ut est Psal. 8. v. 7. & sequen. *Imo vero constitutus super omne quod nominari potest in hoc & futuro seculo*, Ephes. 1. v. 21. *adimplens omnia*, Ephes. 4. v. 11. Quod potentiæ suæ regnum non administrat Christus absens corpore, sed præsens & in medio inimicorum existens, idque supra humanum morem, cum excellentior & potentior persona sit quam reges terreni, qui absentes vicariâ operâ coguntur tantum in administratione regnorum suorum uti: De hoc vero rege dicitur Esai. 9. v. 6. quod *principatus eius sit factus super humerum eius*. Super humerum dicit, ut intelligatur, Christum onus imperii sui propriis gesta e viribus, & ut includi intelligatur ipsa Christi caro seu assumta humana natura, per quam ubique præsenter rex noster dominatur, tàm intra quàm extra Ecclesiam, tàm in medio inimicorum, quàm in medio amicorum suorum, qui sunt in Ecclesia. Et hoc dominium exercet Christus Deus & homo vi hypostaticæ & indissolubilis unionis, quo respectu gloriosè etiam dicitur in Apocalypsi cap. 19. vers. 16. quod *Christus habeat nomen scriptum in vestimento & femore suo*: *Rex regum & Dominus dominantiũ*. Per vestimentum & femur humanitas Christi notatur, cui hic titulus & dignitas inscripta, data & irrogata est. Quid enim esset absurdius,

dius, quàm ut filius Dei præsens absente carne dominaretur in medio inimicorum, cum eam extra omnem considerationem & inimicorũ et amicorum, imò etiam extra rationes omnium locorum intra semetipsum, in suâ ὑπόστασει habeat sibi & præsentissimè unitam & unitissimè præsentẽ? aut enim necesse esset ὕπαρξιν τῦ λόγυ alicubi abesse, ubi tamen λόγ@ adesset, aut ὕπαρξιν τῦ λόγυ adesse, ubi tamen λόγ@ ipse abesset: aut ὕπαρξιν τῦ λόγυ alicubi adesse, ubi caro non esset: aut denique carnem Christi alicubi esse, ubi ὕπαρξις τῦ λόγυ non esset. Quorum absurdorum nullum est, quod orthodoxè admitti possit ab eo, qui cum Damasceno hoc principium habeat immotum, carnem Christi suam habere ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ ὕπαρξιν existentiam & immanentiam. Λόγ@ enim post incarnationem ὑπόστασις est, non tantum divinæ suæ naturæ, verum etiam assumtæ humanæ naturæ.

SEXTVS LOCVS COMMVNIS.

QUia Psalmista fatetur hunc regem nostrum Christum in medio inimicorum suorum non succumbere, sed dominari, hinc de flore & vigore huius regni potentiæ dilucidum fertur testimonium: nempe Christum non esse alligatum vel ad naturæ ordi-

ordinem vel ad humanarum voluntatum arbitrium & repugnacula, sed omnia & immensa sua potentia, & pro voluntatis suæ summa libertate mutare, dispensare & constituere, frustrà obfrementibus mundi & inferorum portis. Unde & merito ipsi accinitur & acclamatur, ab Ecclesia triumphante cœleste illud ᾠδὴ καινὴν Apocalyp. 15. vers. 3. quod ipsius agni canticum, in cuius laudes vergit, ibidem appellatur, cùm dicunt: *Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens, iustæ & veræ sunt viæ tuæ, rex Sanctorum: quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus sanctus es, omnes gentes venient & adorabunt in conspectu tuo.* Et quia sæpè CHRISTVS videtur dominatu suo succumbere in hoc mundo, tacitè nobis insinuatur aliud dominium, quod in regno gloriæ in altera vita omnibus numeris erit absolutum & manifestum.

SEPTIMVS LOCVS COMMVNIS.

SIcut Rex huius regni novus & singularis est, ita quoque populus, cives seu subditi eiusdem novi & singulares sunt, quorum ortus è supernis est, uti ros. Roris materia puta vapores motu cœlestiũ corporum è terra eli-

ra eliciuntur, ſurſumque evehuntur, ibique ab occurrente aëre frigidiuſculo, tanquam in matrice auroræ conſtipantur, & rurſus guttatim ad reficiendam terræ ariditatẽ quaſi pulcherrimis gemmulis decidunt. Quæ mirabilis roris generatio nos de inviſibili & mirabili generatione ſeu regeneratione potiꝰ ſubditorum huius regni, h. e. filiorum Dei in Eccleſia tanquam in eleganti typo concionatur. Subditi huius regni homines ſunt natura, & originem ſuam habent è terra, ſicut vapores primitus è terra naſcuntur. Et veluti vapores nondum ros ſunt, ita quoque homines quatenus homines in peccatis geniti & nati nondum ſunt filii Dei: ſed neceſſe eſt ut virtus ſpiritus Sancti ex alto illorum mentes elevet, ſubvehat, foveat, convertat & invertat, reficiens illas ſuavi refrigerio in utero auroræ, hoc eſt, in verbo & Sacramentis, quo tandem renaſcuntur. Regeneratio enim efficientem cauſam habet Spiritum ſanctum: Inſtrumentales autem aquam & verbum, ſicut docetur Ioan. 3. v. 5. & 1. Petr. 1. v. 23. Qui igitur civis & membrum huius regni eſſe vult, *non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo ortum, & nativitatem ſuam reſumat*, Ioan. 1. ver. 13.

OCTA-

OCTAVVS LOCVS COMMVNIS.

MUltitudo & pulchritudo huius populi etiam rore præfiguratur: quis enim singulas guttulas numeret? & quis elegantiam eiusdem satis depingat? Inprimis vero floribus & pratis vernantibus ros lucidissimarum gemmarum instar ornat quævis folia herbarum, haud secus, ac si albicantibus margaritis terra esset consita, unde herbæ, gramina, flores, arbores mirificè reficiuntur. Idem de Ecclesia cogitandum est. Sunt enim multò plures filii Dei quam numerari oculis humanis & discerni possunt, soli Deo noti. Et hi filii Dei ornatum addunt Rebuspub. regnis, provinciis, urbibus, pagis, quæ hospitia præbent Ecclesiæ, haud secus atque ros pratis. Neque ornatum duntaxat addunt, sed & felicitatem & incrementum. Deus enim propter Ecclesiam servat regna, non Ecclesiã propter regna & politias: adeò ut nisi Ecclesiæ precibus tanquam rore regna mundana reficiantur, nunquam perveniant ad frugem, sed collabantur & arescant in primis herbis.

NONVS LOCVS COMMUNIS.

SPlendor ornatus & elegantia Populi Christi sanctus dicitur, idque propter Deum, cuius

cuius respectu tantopere prædicatur: in qua sanctitate placet regi suo. Quæ sanctitas nihil aliud est quam *vestimentum salutis & indumentum Iustitiæ*, Esaiæ 61. vers. 10. Imò verò ipse CHRISTVS, quem nos induere oportet per fidem in Baptismo, Galat. 3. vers. 27. Unde mundities quædam promanat operum & novæ obedientiæ, qua sanctificamur indies ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei, 2. Corinth. 7. vers. 1. ut *revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformemur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu*, 2. Corinth. 3. ver. ultimo. Subinde lavantes stolas nostras & dealbantes à reliquiis sordium in sanguine agni.

DECIMVS LOCVS COMMVNIS.

IN subjectione magna est huius populi promtitudo, serviendi studium & obediendi spontaneitas, eò quod & renascantur & ducantur à Spiritu recto seu spontaneo Psal. 51. vers. 12. & talem obedientiam quoque vult & approbat ipse Deus. Deuterono. 16. v. 10. cum inquit: *oblationem spontaneam offeres Domino Deo tuo.* Ad quam se ultrò quoque offert Dauid Psalm. 54. vers. 8. *Voluntariè sacrificabo tibi.* Psalm. 119. ver. 108. *voluntaria oris mei beneplacita*

cita fac Domine. Quæ obedientia hoc modo præstanda est, non tantum propter iram, pœnę metu, sed & propter conscientiam, pietatis amore, Rom. 13. v. 5. Non coactè sed spontanee secundum Deum. 1. Pet. 5. v. 2. *Non ex tristicia aut necessitate, hilarem enim datorem* (ut & operatorem) *diligit Deus*, 2. Corinth. 9. v. 2. Et Roman. 7. ver. 23. dicitur: *Delector lege Dei secundum interiorem hominem.* Christianus igitur populus, in hoc quoq; erit distinctus à populo Mosaico, quod hic duræ erat cervicis & refractarius: Christiani autem promti & expediti ad obedientiam. Cui tamen promtitudini, delectationi, hilaritati Spiritus, non adversatur è diametro legis & disciplinæ necessitas, quia non coactionis, sed mandati, sed ordinis, sed debiti, sed consequentiæ est, non tollit sed juvat Spiritus sancti in renatis spontaneitatem & interioris hominis promtitudinem. *Felix illa necessitas est, quæ ad meliora compellit*, inquit Augustinus. Loquitur autem de necessitate correctionis disciplinæ & legis tantùm, non de necessitate carnificinæ, Papisticæ & Hispanicæ inquisitionis, vel gladiatoria Mahometis methodo, qui utrinque ferro & igni fidem suam volunt implantare gentibus. Qua violenta methodo qui procedunt, non sunt de populo Christi spontaneo, ut nec illi, quos ita ad se compellunt.

UNDE-

VNDECIMVS LOCVS COMMVNIS.

DEnique discamus hîc etiã conferre mirabilem Christi nativitatem secundum utramque naturam cum roris generatione. Sicut enim efficiens & primæva roris generandi causa ex virtute cœlestium corporum pendet: ita quoque Christi nativitas è supernis tantum est, sive respicias divinam, sive humanam naturam. Item sicut ros non generatur ex nihilo, sed materiam sumit ex elementaribus evaporationibus: ita filius Dei non deportavit secum humanam carnem, sed assumsit in utero virginis. Item, sicut ros generatur invisibiliter & sine adminiculo virium humanarum: Ita Christus quoque conceptus est sine additamento seminis virilis. Denique, sicut idem ros est qui ascendit, qui & descendit: Ita *nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo*, Ioan. 3. v. 13. Et si qui possunt esse plures sanioris & sobriæ comparationis modi.

TERTIA PARS PSALMI.

DIximus hactenus de regno, ad quod Pater filium suum Messiam evexit. Nunc pergit Psalmista porrò enarrare, quod cœle-

cœlestis Pater non tantũ ad regnum, sed & ad sacerdotium hunc eundem suum Christum vocaverit. Quam vocationem ut declaret esse arduam & illustrem, Iuramento divino ait illam fundatam, confirmatam & obsignatam esse. *Iuravit*, inquit, *& non pœnitebit eum.* Quis vero est, qui juravit? nimirum ille JEHOVAH, qui dixit: *Sede à dextris meis*, qui constituit regem suum in Sion, qui emisit virtutis suæ sceptrum, ille JEHOVAH, qui est æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, ille ipse interposuit juramentum certum, infallibile & immotum, cuius eum nunquam pœnitebit, filium suum sacerdotalem ordinem suscipere debere. Cum enim Deus nihil temerè agat, & mutabilis non sit, quî fieri queat, ut pœnitere eum possit vel istius vocationis, quæ in arcano S. S. Triados senatu & consilio decreta est, vel istius juramenti, quo vocationem hanc tam solenniter confirmavit?

Tu es Sacerdos] Summa huius divinæ vocationis & juramenti hæc est. Deus Pater iterum alloquitur filium, volens 1. ut sit Sacerdos. 2. ut non sit legalis Sacerdos, sed peculiari modo nempe *iuxta ordinem Melchisedech.* 3. ut non sit Sacerdos anniversarius sed *Æternus.* De singulis membris videndum est.

De primo. Quòd Deus filium suum non tantum regem sed & sacerdotem esse voluit,

id novum planè & insolitum est. Non enim licebat vel Davidi vel posteris eius simul utroque regio & sacerdotali munere fungi, adeo ut ne quidem ipse Moyses dux populi administraverit opera sacerdotalia, sed Aaroni postquam is vocatus & constitutus esset summus sacerdos, suam functionem intactam reliquerit. Sed uti Christus omnibus numeris excedit omnes reges terrenos, in multis aliis, ita & hoc ipso debebat esse singularis, ut simul & Rex & Sacerdos Ecclesiasticus & politicus esset: Adeo ut hinc quoque nemo hominum ipsi possit assimilari, in quem hæc vox Psalmi huius quadret. Quod subolentes excæcati Thalmudistæ cum hoc ipsum videant in suum Abrahamum vel Ezechiam (de quo, ut supra diximus, hunc Psalmũ loqui somniant) nõ congruere, strophas quærunt in vocabulo כֹּהֵן *Cochen*, quod hic extat, quod non Sacerdotem sed principem significare aiunt. Verum ne pueriliter et Grammaticè cum ipsis litigemus, sequentia verba satis manifesta sunt, dum dicit: *Secundum ordinem Melchisedech*: Hæc enim addita evidenter convincunt, כֹּהֵן *Cochen*, talem viri conditionem describere, quæ sit ad instar Melchisedeci. Sed in eo non commendat Sacra scriptura Melchisedecum, quod principũ aut procerum fuit unus, sed

sed quod fuerit Sacerdos altissimi. Eiusdem igitur quia conditionis Pater filium suum Christum esse vult, ideo sequitur necessario, eum Sacerdotem futurum, & vocabulum hoc non nisi per dictionem Sacerdotis posse explicari. Valere igitur jussis Rabbinorum obduratorum glossis, certi simus, Deum Patrem hoc in loco velle Christum & Regem & Sacerdotem esse, qui oret & sacrificet pro populo suo.

Deinde secundum quod attinet, nascebantur in veteri Testamento Sacerdotes ex certa tribu, quæ Levi erat, & ob id Levitæ vel Levitici dicebantur, qui tantum ad ministerium tabernaculi destinati erant: Cuius generis Sacerdotem cum Deus habuisset Aharonē & aliàs sat multos in populo Judaico etiamnum haberet, noluit Christū suum huius, sed alterius longè & sublimioris esse ordinis, nempe ordinis Melchisedeci, quod etiam inusitatum & valdè admirabile est. De Melchisedeco legiturhistoria Gen. 15. v. 18. quod is occurrerit Abrahamo redeunti à partâ de hostibus suis victoriâ, & protulerit panem & vinū, & simul benedixerit Abrahamo. Appellatus fuit hic Melchisedech pulchro nomine, significat enim *Regem iustum* seu *iusticiæ*, quocum etiam nomen officii pulchrè quadrat, quod fuerit Malchi seu rex in Salem: Quo nomine tum

temporis urbs, postea Ierusalem dicta, veniebat. Quidam sunt in hac opinione, quod Salem vel Ierusalem olim quoq; Zedech sit appellata, sed tunc ταυτολογίαν committeret Moyses in verbis his, cum dicit, quod Melchisedech fuerit rex Salem. Verum in eo non multum est situm. Quod rex Salem dicitur, id etiã pulchrã habet significationẽ. שלום *Schalom* enim pacem & שלם *Schalem*, perfectum & integrum significat, quasi dicas vel regem perfectum, vel regem pacificum, vel utrumque. Fuit hic Melchisedech Rex seu Princeps, qui habitabat in civitate Salem, cuius habebat merum dominium, quam regimine despotico & paterno regebat, uti parentes disciplinam solent exercere in liberos. Neque regebat illos duntaxat disciplina morum & juris civilis, sed & præfuit illis disciplina pietatis spirituali, unde & Sacerdos altissimi appellatur, qui & in pietate & morum honestate, juxta divinas & humanas leges, in obedientia erga Deum & erga proximũ, subditos suos exercuit. Quid multis? Melchisedech fuit Ecclesiastes, Princeps, & Paterfamilias. Quis autem fuerit hic Melchisedech, non liquido constat, non enim amplius à Moyse huius Melchisedeci, nisi hoc tantum loco in Genesi, semel fit mentio. Epistola ad Hebræos

bræos appellat eum ἀπάτορα καὶ ἀμήτορα non habentem patrem vel matrem Hebr. 7. vers. 3. Quod nimis rigidè intelligens Origenes statuit, Melchisedecum fuisse Angelum. Sed verba Apostoli accipienda sunt πρὸς ἡμᾶς, *quo ad nos*. Melchisedech enim ratione sui revera non fuit sine patre & matre, sed quo ad nos, quia nos latet Moyse subticente, quis fuerit ipsius vel Pater vel Mater. Unde quoq; improbabilior est conjectura quorundam, qui Semum fuisse hunc Melchisedecum suspicantur. Cum enim veritas huius Epistolæ constare debeat, Moysen non speciatim descripsisse Genealogiam Melchisedeci, Semi autem Genealogiam expresse & bis quidem designarit, Gen. 5. v. 32. & 11. ver. 10. sequitur Semum cum Melchisedeco confundendum non esse. Voluit enim Deus Melchisedecum etiam hac in parte typum Christi gestare. Nam Christus designatur hoc in libro Sacerdos juxta ordinem Melchisedech. In Hebræo est: *Tu es Sacerdos super verbum meum.* דִּבְרָתִי *Dabar*, autem non tantum *verbum*, sed & *consuetudinem, factum, rem, & ritum* significat. Itaq; in Epistola ad Hebræos cap. 5. v. 6. explicatur κατὰ τὴν τάξιν. cap. 7. v. 15. κατὰ τὴν ὁμοιότητα, h. e. juxta ordinem & similitudinem. Videndũ igitur jam est, quâ in re consistat collatio Christi ad Melchisedechum, typi ad antity-

pum. Primùm quod ad typum, Melchisedech pulchrè præfigurat Christum. Ut enim Melchisedech dicebatur Rex justiciæ & pacis: ita Christus noster verè est & dicitur rex Iustiçiæ & pacis, Ebr. 7. v. 2. Secundò ratione Genealogiæ. Sicut enim Melchisedech in toto biblico codice non habet Patrem vel Matrem: Ita Christus ratione divinæ generationis matrem non habet, ratione humanæ patrem non habet, idque non tantum πρὸς ἡμᾶς quoad nostrum scire, verum ἁπλῶς simpliciter, & in se existens ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ. Tertiò, sicut non constat quando Melchisedech sit natus & quo tempore mortuus: Ita Christus revera, quoad divinam generationem, principium dierum non habet, neque finem amplius, tàm respectu divinæ quàm humanæ naturæ, quia quod mortuus est, peccato semel tantùm mortuus est, & non morietur ampli⁹. Quartò, sicut Melchisedech major fuit Abrahamo, utpote à quo decimis honoratus est: Ita Christus longè adhuc major est ipso Abrahamo, frustra etiam ōbgannientibus Iudæis. Ioan. 8. vers. 53. Quintò, sicut Melchisedech fuit Antistes eorum, qui in præputio fuerunt: Ita Christus quoque Sacerdos est eorum, qui in præputio sunt. Sextò, sicut Melchisedech, licet fuerit antistes eorum, qui fuerunt in præputio, non sprevit tamen decimas eius, qui futu-

futurus erat pater circumcisionis : Ita quoque à Christo non spernuntur, sed in ipso quoque potius coëunt & coalescunt , & illi qui sunt in pelle , & qui sunt apelles. Septimò, sicut Melchisedech & fuit Rex & Sacerdos simul : Ita in Christo conjunctim erunt & regnum & Sacerdotium. Octavo , sicut Melchisedech benedixit Abrahamo : ita fons omnis benedictionis æternæ & temporalis efficienter est in Christo. Nonò, sicut Melchisedeci sacerdotium planè aliud & distinctum erat à Levitico, ita quoque Christus longè alio & distincto modo erit Sacerdos , qui non occupabitur in mactandis & offerendis victimis , peragendisque reliquis Ceremoniis & ritibus inter Levitas consuetis. Decimò, sicut Melchisedech refecit Abrahamum eiusq; exercitum defatigatum à pugna & itinere : Ita Christus nos reficit verbo & Sacramentis, sicut inquit Matth. 11. v. 28. *Ego reficiam vos.* Atque ita omnibus numeris complevit ὁμοιώσιν & similitudinem typi , quo præfiguratus fuit à Melchisedeco Christus.

Sed hic quoque monendi sunt juniores de corruptela collationis , quam Pontificii intulerunt. Cum enim in Genesi in nonnullis exemplaribus legatur, quod Melchisedech obtulerit (pro *protulerit*) panem & vinum , illi inferunt Christum quoque panem & vinum ob-

tuliſſe, & in ſacrificium Deo offerendum inſtituiſſe cœnam. Sed injuriam inferunt textui Moſaico: verbum enim הוֹצִיא *Hozih*, quod hic extat, *eduxit & protulit* ſignificat, uti etiam ipſe Pagninus rectè vertit. Vult enim Moyſes, quod Melchiſedech è penu ſuo deprompſerit & protulerit cibaria ſeu commeatum, panem & vinum, quo refecit Abrahamum & comites è pugna reverſos. Qua in parte ſi quæ analogia & ſimilitudo eſſe debeat, poſſet hoc modo inſtitui collatio. Sicut Melchiſedech protulit & propoſuit panem & vinum ad reficiendum corpus: ita Chriſtus inſtituit & propoſuit Sacramentum panis & vini Euchariſtici, cum quo dat nobis corpus ſuum & ſanguinem ad refectionem fidei, poſt varias afflictiones & pugnas, quas ſuſtinemus cum carne & Diabolo. Item, ſicut Melchiſedech non ſacrificavit panem & vinum Abrahamo: Ita quoque Chriſtus non ſacrificavit panem & vinum, aut ullam extraneam victimam, multo minus ſacrificare juſſit alios in novo Teſtamento. Concidit igitur commentum illud idolatricum Miſſæ Romanæ, quod ex hoc loco ſibi fingunt Pontificii.

In æternum] Reſtat tertium membrum, quod Deus vocat filium ſuum ad ſacerdotium non tranſitorium ſed æternum. Ratio Levi-

Levitici Sacerdotii hæc erat, ut particulariter terminaretur, cum mortalitate cuiusvis Sacerdotis: Universaliter & finaliter autem sub plenitudinem temporis quo mittendus erat Messias, sicut loquitur Paulus. Erant enim Levitæ temporali morti subjecti, & cogebantur Pontificatum suum cedere aliis. Ita ab Aharone transferebatur officium in filios, & sic consequenter. Postea accedebat corruptela Pharisaica propter avaritiam ipsorum, ut dignitatem Pontificatus & Sacerdotii summi ne quidem paterentur extendi ad ætatem hominis, sed ex more consulatus Romani annuum faciebant hoc officium, etiam sine Dei mandato. Deus autem sacerdotium Christi non vult esse vel anniversarium vel temporale, quod cum viri ætate terminetur, sed & perenne & æternum, adeò ut licet Christus etiam mori debeat, non tamen ob id sacerdotium ipsius intercidat: debebat enim resurgere & reassumere hoc sacerdotium, atque in omnem æternitatem sine fine extendere: adeò ut postquam Sacerdotium Leviticum abrogaretur, Christus vices huius, perennitate & æternitate sui officii longè beatius esset suppleturus.

LOCI COMMVNES.

PRIMVS.

QUod Christus αὐτόχειροτος non nisi vocatus ingreditur officium sacerdotii, id nos hypodidascalos & suffraganeos Ecclesiæ ministros, de necessitate vocationis divinæ admonet, ne videlicet nos ingeramus in vocationem, sed exemplo Christi legitimâ & divinam vocationem expectemus, ne contra nos sonet horrenda illa Dei vox Ierem. 23. v. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos & ipsi prophetarunt.* De Christi exemplo Epistola ad Hebræos ait cap. 5. v. 4. *quod is secutus sit Aharonem, qui nec ipse sibi rapuit honorem.* Ut igitur Christus secutus est exemplum Aharonis, non rapientis sibi honorē: ita & nos conformes reddamur Christo, non rapiendo nobis honores & dignitatem ad ministerium. Sic enim Paulus Rom. 10. vers. 15. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* quasi dicat, qua confidentia, cuius autoritate & jussu, tandemq; quo fructu prædicabunt, nisi animum habeant firmatum diplomate divinæ vocationis, quo in omnibus adversitatibus recurrant, cogitantes, quòd versentur in viis suis?

SECVN-

SECVNDVS LOCVS COMMVNIS.

PORRÒ quod Christus vocatus est ad officium suum, id nos quoque de dignitate nostræ vocationis admonet, cum enim hæc ab illa pendeat & promanet, teste ipso Christo, Ioan. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos*: Consequens est, uti Christi vocatio divina est, ita nostram quoque divinam esse, habet enim primævam suam originem è cœlis ab ipso Christo, qui instituit hoc ministerium, imò ab ipsa sacrosancta Trinitate, quæ dat incrementum 1. Cor. 3. v. 7. Pendeamus igitur ex illa vocationis nostræ divinitate, & inde hauriamus ἱκανότητα seu sufficientiam nostrã ad tantum opus: non quod sufficientes simus à nobis ipsis cogitare aliquid quasi ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, ut docet Paulus 2. Corinth. 3. vers. 5.

TERTIVS LOCVS COMMVNIS.

QUod Deus Pater promissionem & missionem Christi sui juramento tam solenni obsignat, id multum habet ad confirmandam fidem nostram roboris. Etsi enim Deus sui causa juramentis opus non habeat,

habeat, utpote qui mentiri non possit, nec superiorem per quem juret, agnoscat, Hebr. 6. v. 18. Jurare tamen voluit, ut succurreret humanæ fragilitati, quæ facilè frangi potuisset in tam diuturna protractione & expectatione Messiæ, quæ in multos annos differenda erat. Quoties igitur sanctis Patribus subnascebatur tentatio de mora & protractione promissionis, quod in longum differretur impletio, toties habebant in promptu hoc juramentum divinum, quo tanquam pessulo construebant cor & dubitationem omnem, ne spe sua caderent: *Juravit* enim *Dominus*, inquit hoc loco David, *& non pœnitebit eum*, Et Psalm. 89. vers. 4. introducit Deum ipsum loquentem: *Juravi David servo meo, usque in æternum præparabo semen tuum, & ædificabo generationem & generationem sedem tuam*: & rursus versu 35. *Neque prophanabo Testamentum meum & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita: Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen eius in æternum manebit.* Et Psalm. 132. vers. 11. *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

Hoc juramento Dei usque ad adventum Messiæ se sustentatum esse profitetur Zacharias Lucæ 1. vers. 73. quod & repetit Petrus Actor. 2. vers. 30. Et hic est salutaris usus juramen-

ramenti Divini, quod quoties in reliquis suis promissionibus interponit Deus, toties pari reverentia & confidentia à nobis acceptandum est: juxta vulgatam Tertulliani regulam: *O felices, quorum causa iurat Deus: O infelicissimos, si ne quidem iuranti Deo credere volumus.*

QVARTVS LOCVS COMMVNIS.

NOn tantum juramentum Dei nos consolatur, sed & docet, jurare peccatum per se non esse. Si enim jurare per se esset peccatum, nónne Deus jurando peccati se reum ageret? quæ amentia absit à mentibus nostris. Iurasse autem ipsum Deum non tantum præsenti exemplo, sed infinitis aliis probatur. Valde illustre exemplum extat apud Ezechielem cap. 33. vers. 11. *Vivo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij.* Et in novo Testamento multoties Filius Dei ingeminato Iuramento suas promissiones confirmat, ut Ioan. 9. vers. 51. 16. ver. 23. & alibi. Et ipse Angelus Domini jurat *per vidente in secula seculorum*, Apoc. 10. v. 6. Ne quid dicam de infinitis exemplis omniũ sanctorum tàm in veteri quàm in novo Testamento, qui & jurârunt & juramenta ab aliis exegerunt. Sic David

jurat

jurat per Deum videntem 1. Reg. 1. ver. 13. Et Paulus aliquoties in suis Epistolis 2. Corinth. 1. ver. 23. Philip. 1. v. 8. Atque ne quis obstrepat nobis, legibus non exemplis esse judicandum, cogitetur de autorum, quorum exempla attulimus, inculpatâ præeminentia, quæ omni exceptione major est. Quin & legibus nos in hac parte stare sciat, & non exemplis tantum? Iuramenta enim sub secundo præcepto comprehensa sunt, Deut. 6. ver. 13. dicitur: *Deum tuum timebis & illi soli servies*: ac *per nomen ipsius iurabis*. Ierem. 4. v. 2. Iubemur *iurare in veritate, & in iudicio & in iustitia*. Quod idem etiam ad tempus novi Testamenti applicat Esaias cap. 45. v. 34. *Mihi curvabitur*, inquiens, *omne genu, & iurabit omnis lingua*. Quid? quod nullo modo inter prohibita censendum sit, quod ipsum pars cultus Divini est, quo Deus invocatur, quo Deo laus veritatis, cura rerum humanarum, potentia puniendi, inspectio & judicium cordium tribuitur. Cui adde, quod juramentum charitatem proximi contineat, exerceat, juvet, dum est finis controversiarum, Hebr. 6. v. 16. Et medetur vanis & injustis litigiis, subvenit veritati, commodat saluti proximi, & constringit vincula societatis humanæ. Cum igitur juramentum tàm primæ quàm secundæ tabulæ conforme sit, & propterea ἔννομον, quis ἄνομον esse cum

Ana-

Anabaptistis dixerit, nisi is quid legis quid Evangelii sit, se ignorare hoc ipso comprobet?

QVINTVS LOCVS COMMVNIS.

QUod Christus ad exemplar Melchisedeci Regnum & sacerdotium conjunxit & gessit, id novum & inimitabile habendum est reliquis: Soli enim Christo licet esse & Sacerdoti & Regi publico; cæteris non item: Utpote qui simile mandatum non acceperunt. Regulariter enim Deus vult esse distinctos gradus, status & conditiones, nec approbat publicam confessionem officiorum. David quidem potuit esse & fuit quoque Rex & Propheta, sed non Rex & Sacerdos simul. Et Moyses simul noluit & dux & sacerdos esse populi Israëlitici. Assa cum extenderet manū ad arcam tenendum sine mandato, percussit eum Dominus super temeritate hac, 2. Sam. 6. v. 7. Ozia cum incensum super altare Thymiamatis adolere, & sacerdotalia munia subire in animum sumeret, lepra percussus à Deo temeritatis & πολυπραγμοσύνης suæ luit pœnas, 2. Paral. 26. v. 16. easque dignissimas: nolebat enim audire Azariam, qui contradixit aperte: *Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotis.* Quod sibi dictum habeant qui-

quidam temerarii Politici, quorum ferax hæc ætas est, qui alterum pedem in curia, alterum in suggesto collocant, & satis pro imperio se immiscent Theologicis certaminibus non privatim judicandis & compescendis, sed & publico & stricto calamo disseminant, quo turbant Ecclesias & respub. & confundunt ordinum bonorum limites: Immemores istius Syracidis cap. 3. v. 22. *Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper & in pluribus operibus ne fueris curiosus. Multos enim supplantavit præsumtio.* Atq; sic hi πολυπράγμονες non habent, quod se purgent Christi exemplo, qui destituuntur Christi mandato.

SEXTVS LOCVS COMMVNIS.

SAcerdotium Christi extra tribum Levi collocatum, docet de abrogatione legis Mosaicæ & officinæ Leviticæ. Cum enim Christus non ex tribu Levi sanguinem susciperе & pro ritu huius ordinis vivere, & nihilominus sacerdos esse debuerit, consequens erat, ut ipsi totum sacerdotium Leviticum, ceu imperfectius perfectiori cederet. Maius enim lumen obfuscat minus. Quod prædictũ erat in Daniele cap. 9. v. 26. *Civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, & finis eius vastitas. Deficiet hostia & sacrificium, &c.*

Fru-

Frustra igitur faciunt Iudæi, quod nec relinquunt, quæ periere, nec utuntur præsenti bono.

SEPTIMVS LOCVS COMMVNIS.

HAbemus hic duo testimonia Deitatis Christi: nam primo quia hic Sacerdos nec principium nec finem habet, prout per typum Melchisedeci adumbratum erat, necesse est, illum verum Deum esse, qui & sine principio & fine est. Deinde quia æternus Sacerdos dicitur, non potest non Deus esse, cum nihil extra Deum æternum sit. Sed de hac re suprà latius ac clarius dictum est.

OCTAVVS LOCVS COMMVNIS.

POrrò æternitas sacerdotii Christi etiam Pontificiorum decretales ineptias refutat, qui per Christi ascensionem & sessionem ad dexteram Dei Patris, sacerdotium à Persona Christi translatum esse in sedem & vicariatū Petri & successores eius strenuè nugantur, cum potius contrarium ipsis statuendum esset. Non enim quia Christus ascendit ad cœlos, & sedet ad dexteram Dei, ideo vel terminavit vel suspendit, vel transtulit sacerdotiū à sua persona in aliam, sed eo ipso nunc potenter & præsenter idipsum administrat.

Imperium enim super humeris eius. Et hoc ipso fine ascendit ad cœlos, ut ibi sacerdotii sui partes administraret in æternum. Quod eleganter & ex professo explicat epistola ad Hebræos cap. 7. vers. 24. *Christus eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Falsum igitur est, quod in titulo secundo Decretalium dicitur: translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat. Nam potestatem condendi leges fulciunt opinione translati sacerdotii Christi, quod fundamentum ut hoc Psalmo evertitur, ita secum destruit quicquid superstructum est.

NONVS LOCVS COMMVNIS.

SI Christus Sacerdos æternus est, ut est, necesse est, etiam Ecclesiam æternam esse, sacerdos enim non debet esse sine Ecclesia, nec Ecclesia sine sacerdote. Quapropter etiam Christus pusillo suo gregi stabilitatem & perennitatem in his terris contra incursus omnium hostium promisit, Matth. 16. ver. 18. inquiens: *Supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt adversus eam.* Et cum perennitas Sacerdotii Christi non tantum usq; ad durabilitatem mundi extendatur, sed & ultra huius mundi ætatem,

necesse

necesse erit, Ecclesiam Christi non intercidere cum mundi huius interitu, sed conservari etiam in altera vita, in qua cum æterno suo sacerdote erit & subsistet in omnium seculorum secula. Sicut ergo ad continuandam æternitatem Sacerdotii sui, Christus in morte relinqui non potuit, sed necessario è sepulcro in vitam rediit, ita quoque correspondenter Ecclesiæ membra morte interemta, non debent aut possunt manere in morte, sed ad exemplar sacerdotis sui resurgere, ut ibi sint ubi est sacerdos ipsorum, & tamdiu sint, quamdiu isthic ipsorum sacerdos superfuturus est, h. e. in æternum.

DECIMVS LOCVS COMMVNIS.

PArtes functionis sacerdotalis Christi in his tribus consistere discamus. 1. quod doceat. 2. quod sacrificet. 3. quod oret: hæc enim requiruntur à Sacerdote germano. Primo enim cum labia Sacerdotis scientiam custodiãt, merito & nos quoq; scientiã Evangelii ex ore ipsius quæram⁹, utpote quam è sinu æterni Patris ad nos detulit, Ioan. 1. v. 18. In qua declarat nobis abscondita voluntatis Paternæ in redẽtione toti⁹ generis humani, quæ in nullius hominis cor, nisi Christo revelante descedere potuissent. Vnde & Christ⁹ κατ' ἐξοχὴν Propheta dicitur Deu. 18. v. 15. Magister habẽs

linguam eruditam, Esai. 50. vers. 4. *in cuius labiis diffusa est gratia*, Psalm. 45. v. 3. *loquens iustitiam & Magister ad salvandum*, Esai. 63. ver. 1. Deinde sacrificium præstat Christus non in aliena victima, sed in seipso, dans carnè, & effundens sanguinem suum in ara crucis pro salute totius mundi: quod fecit semel seipsum offerendo Hebr. 7. ver. 27. Ipse enim est & *Sacerdos & agnus tollens peccata mundi*, propterea dicit Ioan. 17. v. 19. *Ego pro eis sanctifico meipsum*. Deniq; & orat & interpellat pro nobis Christus, ut ibidem dicto toto capite Ioannis legere est. De quibus precibus dicit autor Epistolæ ad Hebræos, quod *exauditus sit pro sua reverentia*, Hebr. 5. v. 8. Et Ioan. 11. v. 42 Christus ipse testatur, se scire, quod semper à Patre exaudiatur.

VNDECIMVS LOCVS COMMVNIS.

ADmoneamur etiam de salutari usu Sacerdotii Christi, quia enim Christus est Sacerdos noster æternus, docens & erudiens nos, non quæramus alium Doctorem in salutis via, quam hunc ipsum, de quo unico Pater ipse pronunciavit sonora voce, *Hunc audite*, Matth. 27. ver. 5. Valere interim jussis omnibus propriæ opinionis, sapientiæ, traditionum humanarum, & consuetudinum Syrenibus; ex ore solius huius Magistri nostri penden-

pendentes. Christus enim est *omnia & in omnibus*, Col. 3. v. 11. Et respectu huius Magistri nostri *non dicamur Rabbi, unus enim Magister noster est Christus*, Matth. 23. v. 8. Et denique quia sacrificavit semetipsum pro peccatis nostris, & interpellat pro nobis, fateamur & nos miseros & indignos peccatores egêre subinde illius interpellatione: consoleturque nos hoc ipsum, quod pro nobis intercedat in cœlis, & ducamur certa fiducia, quod & nos suum populum & regale sacerdotium tandem translaturus sit ad se in tabernaculum id, quod manu factum non est, in quo tanquam in cœlesti *Salem* hunc nostrum summum Sacerdotem, hunc regem justiciæ, hunc principem pacis à facie ad faciem visuri sumus, & potituri fructu intercessionis suæ sine fine.

QVARTA PARS
Psalmi.

PARAPHRASIS.

COllocavit hactenus Deus Pater Filium suum Messiam in possessionem duplicis majestatis, puta in Thronum regni & cathedram Sacerdotii: Nunc porrò Psalmista convertit orationem ad Ecclesiam, eamq; docet, quomodo hic sacerdotalis Rex, & regalis Sacerdos usurus sit sua dignitate, tàm erga morigeros sibi, quàm erga refractarios.

Dominus (inquit) *à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges.*] Hæc verba consolatoria sunt, & ad Ecclesiam pertinent, cui sic vult dicere: Audi Ecclesia, hic Messias non sibi Rex, non sibi Sacerdos est, non is sibi tantum sedet ad dexteram Patris, sed ita est in gloria dexteræ omnipotentis, ut tibi & esse possit & sit à dextris. Quid autem sit à dextris esse alicui; si respectu hominum dicatur, ex similibus scripturæ locis petendum est, Psalm. 16. ver. 8. etiam extat: *Dominus à dextris est mihi, ne commovear.* Et Psalm. 109. v. 31. *Astitit à dextris pauperis*, significatque nihil aliud, quam esse ab alicuius partibus, causam alicuius singulari patrocinio agendam suscipere, consilio & auxilio juvare, arte & marte, vi & virtute defendere, & omnes injurias illatas & inferendas alterius nomine ut decet ἀμύνειν vindicare & propulsare. Tali modo vaticinatur Propheta, futurum esse Christum à latere & à dexteris Ecclesiæ suæ. Subjicit ergo quoque, qua potentia & fortitudine se oppositurus sit hostibus. Hostes qui futuri sunt contra Ecclesiam & Christum, appellantur Reges, quo nomine assignatur ipsis & dignitas & autoritas & potestas nocendi, quod & videantur posse nocere & possint quoque: non enim sunt de communi grege, sed sunt δυνασται, proceres, imperatores, duces, reges,

quos

quos hic ipse Messias rex in thronum regium exaltabit, sed qui abutuntur sua majestate, & convertunt spicula sua contra Christū ipsum, degenerantque in tyrannos & persecutores Christi & Ecclesiæ. Sed utut hi reges tyrannizent, non prævalebit tamen ipsorū tyrannis. Nam Christus *confregit in die iræ suæ Reges. Confregit* in præterito dicit, pro confringet in futuro, propter argumentum certitudinis, qua hęc res futura, tam non est fortuita & contingens, ut sit modo determinatissimæ veritatis, quæ jam in oculis Dei consecuta sit suū effectum. Est enim dies iræ, qui omnino nullam patietur elisionē. Nam licet Christus longanimis sit & multæ misericordiæ, qui connivere potest delinquentibꝰ contra se, tamē quia spreverunt hactenus insolenter diem gratiæ, ideo coguntur nunc quoq; vicissim sustinere diem iræ. Quem diē iræ valde terribilē & formidabilem constituit Christus duplici de causa. 1. quia exercebit in illo potestatē judiciariam, in omnes hostes suos, à quibꝰ spretus est, cuiꝰ sententiæ hæc summa est: *qui non colligit mecum dispergit.* Item: *qui non crediderit, condemnabitur.* Quam sententiā judiciariā edet universaliter *in nationibus*, h. e. in toto mundo, qua obstringet omnes homines ex æquo, sive illi sint Judæi sive Gentes. 2. erit hic dies iræ formidabilis & intolerabilis etiā propter executionē.

Nam ſententia hæc ſtabit irrevocabiliter, & deducetur in indubitatum effectum, idque tàm in hac quàm in altera vita. In hac vita affligit homines propter contemtum verbi ſui bellis temporalibus: *Implebit ruinas*, h. e. ſtragem edet, & campos implebit cadaveribus: & *conquaſſabit capita*: tàm ducum, quàm militum, tàm equitum, quàm peditum ſuper terras multas, adeo ut velint nolint cogantur palmam cedere victori Chriſto. Has lanienas bellorum ſeditionum & turbarum excitabit ipſe Chriſtus in dignam pœnam contemtorum ſuorum: Qui perbelle adhuc felices & beati forent, ſi in his pœnis Chriſtus acquieſceret, & non ulterius progrederetur. Verum hæ temporales calamitates erunt tantum umbra æternarum pœnarum, quibus ſententiam ſuam judicialem exequetur etiam in altera vita, in qua tandem abijciet omnes Tyrannos & perſecutores ſui regni & ſacerdotii, & conteret conquaſſabitque illorum capita, una cum capite ſerpentis antiqui & omnium infernalium in æternum. Nimirum hoc eſt illud judicium quod exercebit Rex & Sacerdos noſter Meſſias in terris.

LOCI COMMVNES.

PRIMVS.

ECcleſia Chriſti, quàm fragilis & impotens eſt in his terris reſpectu ſui, tàm fortis

fortis & præpotens est respectu paratæ sui nempe Christi. Habet enim illum sibi a dextris : Imo verò est in manu ipsius, ut ipse Ioannis 10. v. 28 dicit : *Oves meas non rapiet quisquam è manu mea.* Ducit enim, fovet, custodit eas, & est cum eis quovis loco & tempore, Unde dicit Ioan. 14. v. 18, *Non relinquam vos orphanos.* Et Matth. 28. vers. 20. inquit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Ioan. 12. v. 26. *Vbi ego sum illic & minister meus erit.* Tam fidum ergo & inseparabilem non tantum Achatem sed Paratatem, imò hyperaspistem patronũ & propugnatorem habemus in Ecclesia Christum, ut is nobiscum subeat communem salutem & commune periculum ; Imo qui quicquid contemtuum & periculorum Ecclesiæ intenditur, sibi asscribit & imputat. Quapropter etiam, dicit Luc. 10. v. 16. *Qui vos spernit, me spernit, qui verò me spernit, spernit eum qui misit me.* Unde & Christus Ecclesiam suam benè jubet habere, nihilque timoris inde contrahere, si vires suas ex numero, & numerum ex paucitate metiatur, cum inquit Luc. 12. v. 32. *Noli timere, pusille grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*, id est, oportet nos intueri illum, ex cuius placito & paternitate tanquam à capite nostro dependemus.

SECVNDVS LOCVS COMMVNIS.

SEmper mundus dividitur in duas partes, unam cui Christus à dextris est, alteram quam confringet, hoc est, alii sunt pii, alii impii, alii credituli, alii incredituli, alii sunt cum Christo, alii sunt contra Christum. Quam ἀχοτομίαν ipse Christus constituit Lucæ 11. v. 32. *Qui non est mecum, contra me est, qui non colligit mecum, dispergit.* Unde nec simus Neutrales, nec somniemus nobis in his terris cum Chiliastis regnum tale Evangelicum, quod sit omni parte purum, neque cum Catharis talem fingamus Ecclesiam, quæ sit sine macula. Quamdiu enim Christus Regnum geret in hoc mundo, tamdiu habebit Antagonistam Diabolum & complices ipsius, cum quibus nobis confligendum est, usque ad mundi huius finem.

TERTIVS LOCVS COMMVNIS.

GRatiæ, bonitati, & misericordiæ Christi non adversatur, quod se tam inclementem & iracundum præbet hostibus suis; distinguenda enim sunt tempora. Nam aliud est tempus gratiæ, aliud iræ. Tempus gratiæ exercet Christus per verbum Evangelii, quo

quo liberaliter offert gratiam & remissionem peccatorũ,& invitat ad se *omnes,qui laborant et onerati sunt.* Et hoc tempus habet suavissima nomina in sacris, Esai. 49. v. 8. dicitur *tempus placitum,& dies Salutis,* quod 2. Corinth. 6. repetitur, ubi vers.3. dicit Apostolus: *Ecce nunc tempus acceptabile,ecce nunc dies Salutis est.* Ierem. 29. v. 11. dicuntur *cogitationes pacis & non afflictionis.* Matth, 9. ver.15. assimilatur *tempori præsentiæ sponsi.* Luc. 19. v. 44. appellatur *tempus visitationis Dei.* Huic tempori gratiæ (si temere & inobedienter excutiatur & negligatur) succedit aliud tempus, quod iræ est, uti docet Paulus Roman. 2. vers. 4. *An divitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignorans quoniam benignitas* DEI *ad pœnitentiam te invitat. Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis iusti Iudicij* DEI. Qui dies iræ dicitur apud Prophetam Amos 5. vers. 20. *tenebræ & non lux, caligo & non splendor in ea.* Quàm igitur plenus consolationis est dies gratiæ, tàm quoque plenus terroris est dies iræ: in illo exercet Christus officium Pontificis, in hoc officium Iudicis: Illud nos erigat, hoc nos doceat & terreat.

QVAR-

QVARTVS LOCVS COMMVNIS.

DEploranda est sors Christi & Ecclesiæ, quam in his terris patitur, dum videlicet adversarios sibi habet, non tantum colluviem abjectæ plebeculæ, sed Reges & eos quidem, qui caput sunt in terris, & valent autoritate, potentia, prudentia, armis, qua de re etiam Psalmus 2. ver. 2. *Adstiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum & adversus Christum eius.* Quod ut valdè violentum, ita & valdè scandalosum est in oculis illorũ, quia ea tantum, quæ pompam habent in mundo, mirantur & imitantur, quiq; veritatem Ecclesiæ non ex verbo, sed ex numero & pondere adstipulantiũ æstimant. Ut olim Pharisæi faciebant, qui hac ipsa nassa abstrahere volebant populum à Christo, quod ex primariis vel rari vel nulli Christo adhærerent Ioan. 7. v. 48. *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum aut Pharisæi: sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.* Hac eadem arte etiam adhuc utitur Diabolus in Pontificiis, qui vel hoc ipso argumento se Evangelio superciliosè opponunt, quod prævaleant nobis numero, majestate, opibus, & id genus rebus aliis, quæ mundus magnifacit. Sed nos claudamus oculos, & aperiamus aures, & non patiamur

tiamur nobis imponi fuco ſplendoris mundani & regii, cùm etiam hic didicerimus Reges vel maximè Chriſto adverſari.

QVINTVS LOCVS COMMVNIS.

QUia tamen David adverſarios Chriſti dignatur veris ſuis titulis, & de iis ſobriè & modeſtè etiam, dum in ſiniſtrā partem eorum meminit, loquitur, appellans eos Regum nomine, docemur, Chriſtianos non decere os Therſiticum, quod magiſtratū calumnioſis ſcommatibus proſcindat, ſed benè diſtinguendum eſſe officiū à vitiis, & perſonas ab ordine divino. Propter enim honorem ordinis Dei, quem ſuſtinent, non vult etjam pravis ſuperioribus Deus maledici, inquiens Exod. 22. v. 28. *Principem populi tui non maledicas*, quod Act. 23. v. 5. Paulus etiam ad prāvum Iudicem Ananiam ſummum ſacerdotem applicat. Et Petrus 2. Pet. 2. v. 10. etiam inter eos, qui in concupiſcentia carnis ambulant hos numerat, qui dominationes contemnunt & blaſphemant gloria præcellentes. Quod ſi obſervaſſent rebelles Münzeriani, nunquam tantam cladem patrum noſtrorum memoria contra Principes & ordines Imperii infeliciter militando ſibi & aliis attraxiſſent.

SEX-

SEXTVS LOCVS COMMVNIS.

BElla pœnas contemtus verbi Divini & ipsius Christi esse etiam hinc discimus. Christus enim ipse dicitur hic implere terras cadaveribus, quod ut omni tempore fecit, ita id uno potissimum, & quidem valdè generali & illustri exemplo declaravit in Iudæis, puta quorum Rempub. & urbem funditus per Vespasianum delevit, uti ipse prædixerat, Luc. 19. ver. 43. qui horribiliter ipsos afflixit, quod in Iosepho & Egesippo legere est. Hoc exemplum si ullum aliud est, debet nos esse in signum iræ divinæ flagrantis & furentis contra contemtú sui verbi, & hunc ipsum monstrat nobis Paulus Roman. 11. per totum, ubi revocat nobis ad animum, horribilem excœcationem, abjectionem, confractionem gentis Israëliticæ factam esse tantùm propter incredulitatem, monetq; nos gentes, ut ipsorum exemplo maturè discamus sapere, ne si in iisdem Deum offendamus, & eadem severitate à Deo corripiamur.

SEPTIMVS LOCVS COMMVNIS.

REvocanda etiam ad animum Regum gentilium exempla, quorum capita etiam misere conquassavit Christus, ut hic

hic prædictum est, quoties videlicet cornua sumere tentabant contra ipsum: Et ne quid de Herode, vel Ascalonita, vel Antipa, vel Agrippa dicamus, qui omnes miserrimè perierunt, Pontium Pilatum iniquum Christi Iudicem intueamur, qui Tiberii Cæsaris gratia excidens suo ipsius gladio se jugulavit, teste Tertulliano. Nero horribilibus spectris territus, eodem periit modo. Domitianus clàm occisus, & ignominiosè sepultus est. Traianus veneno sumto periit. Diocletianus mente captus, contabuit. Iulianus sauciatus sanguinem proprium cava manu è vulnere exceptum sursum sparsit clamans: *Vicisti tandem Galilæe.* Cuius avunculus ἀχαεσίαν lotio dehonestans, paulò post intestinorum putredine inflammatus, animam cum stercore per os eructavit: Et quis non annales Ecclesiasticos revolvens agnoscat, infinitis Christum exemplis demonstrasse, durum, imo impossibile esse omnibus Tyrannis, & persecutoribus contra stimulum calcitrare, Actorum 9. ver. 5. Etsi enim *Reges & Principes terræ confluunt, conspirent & consultent adversus Dominum, & adversus Christũ eius*, tamen Davide vaticinante, *reget eos Christus in virga ferrea, et tanquã vas figuli confringet eos*, Psalm. 2. v. 9. *Exosculentur ergo Filium Dei* Dominum nostrum Iesum Christum, *& apprehendant disciplinam* Euangelii vera fide,

ne quan-

ne quando iraſcatur Dominus, & pereant de via, ut ibidem David minatur, &c.

QVINTA PARS
PSALMI.

De torrente in via bibet, Propterea exaltabit caput.]

MUltis & ampliſſimis Elogiis hactenus Propheta deprędicârat amplitudinem Majeſtatis, honoris & dignitatis Regni & Sacerdotii Chriſti, itemque res geſtas eiuſdem planè ſtupendas & heroicas: quæ omnia ne ſiniſtram aliquam opinionem animis hominum inſtillarent, de mundana & externa quadam regni forma, qualem Iudæi ſibi ſomniant, itaque in hoc ultimo verſu ἐπανόρθωσιν ſive malis ἐξέτασιν appendicis loco addit de cruce & paſſione Chriſti, & de ſtatu exinanitionis, quæ ſemper, quando de gloria & majeſtate Chriſti ſermo eſt, ſubintelligi & præmitti debet. Verba autem, quibus ſtatum exinanitionis in hoc verſu exprimit, allegorica ſunt, & continent in ſe χρείαν παραδειγματικὴν, quam David de viatoribus, peregrinantibus, exulibus vel etiam militantibus ſumſit. Dicit enim expreſſe, *In via bibet.* Hoc vult autem David: reſpice illos qui ſunt in via, hoc eſt, qui peregrinantur, vel qui militant,

tant, vel qui exulant in locis aridis, desertis & arenosis, qualia multa erant in Syria, quid illis usu veniat; hi enim non semper attingere possunt limpidos viventium aquarum fontes, quibus sitim restinguant, multò minus secum tantum vini ac lactis circumgestare possunt, quod toti peregrinationis aut exilii tempori sufficiat, sed sæpissimè adiguntur torrentes quærere. Sunt autem *Torrentes* confluentiæ impuriorum aquarum, è pluviis vel nive in locis declivioribus collectæ, & aliquo usq; & aliquandiu prolabentes, donec vel Solis ardore, vel urentium ventorum vi exsiccentur, & planè torrescant, unde & torrentes dicuntur. Alii à terrendo, quod impetus ipsorum, quam brevis sit, tàm sit rapidus & terribilis. Huiusmodi aquæ non possunt esse sapidæ, sed quia nec affluxum habent, nec motum perennem, muceſcunt & putreſcunt. Neque hinc tantùm putridæ & insalubres reddebantur torrentis aquæ, sed & hoc habebant pravi, ut in illis sæpe abijcerentur cadavera & aliæ res fœtidæ, quod ex cantico Deboræ colligitur, ubi dicitur Iud. 5. v. 21. *torrens Kison traxit cadavera eorum.* Unde & Prover. 30. ver. 17. corvorum & filiorum aquilæ de torrentibus fit mentio, hoc est, quæ apud torrentes prædæ causa stationem habuerunt. Utut autem sint mucidæ, fœtidæ & putridæ hæ torrentium

undæ, sunt tamen sæpenumero defessis veliti-neris labore vel Solis æstu gratissimæ & jucundissimæ, quibus se reficiant & vires colligant. Exemplum evidens est 1. Sam. 30. ver. 9. cũ David fugaret Amalechitas & perveniret ad torrentem Besor, nõ poterant aliquot commilitonum suorũ ob lassitudinem & defectũ virium transire torrentem Besor, itaq; David jussit illos residere isthic ad torrentem, & recolligere vires. Idem in exemplo Eliæ patet, qui etiã de torrente Carith jubetur bibere, & contentus esse tempore exilii istius sui potu nauseabundo & parum delicato: post paucos enim dies torrens planè exsiccabatur, 1. Reg. 17. v. 3. 7. Idem sæpenumero usu veniisse Davidi cum toties Saulũ fugeret non est dubium. Et huc aliquo modo quadrat tristissimus transitus Davidis, quo fugiens Absolonem in exilio torrentem Kidron transivit, qui & ipse paludosus & niger erat à confluentia stercorum & aquarum templi, cum mactabantur victimæ, quæ deducebatur per canalem subterraneum in torrentem Kidron: Quo transitu præfiguravit transitum Christi per torrentem Kidron Ioan. 18. vers. 1.

Ex his quæ jam dicta sunt hactenus, non nihil intelligi potest, quid sibi velit Psalmista hoc loco, cum inquit: Christum è torrente in via bibiturum esse; nimirum futurum illum

illum exulem esse, peregrinum, & oberrabundum viatorem, qui paupertatem, sitim, & inediam passurus sit, & deniq; ipsam mortem & angores divinæ iræ, tanquam ex inamœno torrente, non tantum libaturus, sed ad fundum usque epoturus sit. Quod ipsum, posteà Christus *calicem Patris*, & *baptisma suæ crucis* appellat. Matth. 20. v. 23.

Propterea exaltabit caput] Hisce verbis designat jam lætam catastrophen, quæ subsecutura est passionem amaram Christi. Dicit enim Christum caput esse exaltaturum. Sed prius phrasis explicanda est, quid sit *caput exaltare? Tollere* vel *exaltare caput*, apud Hebræos significationem habet mediam & ambiguam, & tàm in bonam quàm malam partem sumitur, ut utraque significatio extat Genes. 40. Nam de pincerna, qui restituendus erat pristinæ dignitati, Ioseph hac phrasi utitur v. 13. *Intra triduum Pharao tollet*, seu, *exaltabit caput tuum.* Et de pistore, qui post triduum suspendendus erat patibulo ver. 19. etiam hæc verba usurpat: *intra triduum tollet Pharao caput tuum, & suspendet te in cruce.* Qui usus est etiam in novo Testamento Ioan. 3. v. 14. cum de patibulo & cruce sua loquitur Christus inquiens: *Oportet filiũ hominis exaltari.* Idem extat Ioan. 8. v. 28. & cap. 12. v. 32. In bonam partem

sumitur à Paulo Philip. 2. vers. 9. *Propter quod & Deus exaltavit illum.* Et in hac significatione hoc loco sumitur. Prædicit enim David futurum esse, ut quando Christus passus, mortuus & sepultus est, sublaturus sit caput e pulvere resurgendo, ascendendo, & considendo ad dexteram Dei Patris, victor mortis & serpentis, cuius caput dum suppressurus est, ipse caput suum semper habebit erectum.

LOCI COMMVNES.

I.

DUplex est status personæ Christi, unus humiliationis, alter exaltationis; unus exinanitionis, alter glorificationis: unus crucis, alter lucis. De utroque statu Scriptura distincte loquitur, & quia una eademque Persona est, quæ in hoc duplici & distincto statu versatur, sæpe Scriptura in una periodo utrumque conjungit, & conjunctim de Christo profert: ut patet in hoc ipso versiculo: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput:* huius versiculi pars prior exinanitionis, posterior glorificationis est. Eiusdem generis etiam illa sententia est in Psalm. 8. vers. 6. ubi dicitur: *Minuisti eum paulò minus ab angelis, gloria & honore coronasti eum.* ubi etiam prior pars de exinanitione, posterior de glorificatione loquitur. Nihil aliud vult ipse Chri-

stus,

ſtus, cum ſimili modo ait Luc. 24. v. 26. *Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Qui ſtatus ut ratione ita & tempore differunt, & diſtinctè quoque ſervandi & tractandi ſunt: multum enim lucis afferunt plurimis S. ſcripturæ vaticiniis de Chriſto: ne ſi confundantur, contrarium ſibi ſpiritum Sanctum eſſe putemus, vel ne cum erroneis Iudæis, qui hunc duplicem ſtatum in uno Chriſto nec agnoſcunt nec diſtinguere poſſunt, aut volunt, nobis duplicem Meſſiam, alterum pauperem, alterum prædivitem & potentem ſomniemus, cum non perſona hic, ſed ſtatus unius perſonæ duplicandus & diſtinguendus ſit.

II.

Quis & quam profundus futurus ſit exinanitionis Chriſti ſtatus, etiam ex bibitione torrentis nobis deumbratur. Ut enim qui de torrente bibit & viator eſt, in peregrinis locis & in exilio verſatur: ita Chriſtus factus eſt quoque noſtri cauſa peregrinus & exul. *Mundus enim non cognovit eum, in propria venit, & ſui eum non receperunt*, Ioan. 1. ver. 11. Ita extra patriam ſtatim peregrinari, inque Ægyptum ſe recipere coactus eſt, quamprimùm in hanc lucem eſſet natus, Matth. 2. ver. 14. Item ſicut is, qui peregrinatur, ſæpenumero commodo deſtituitur *hoſpitio*, & quo caput reclinet,

non habet, ita Christus quoque de se affirmat Matth. 8. ver. 20. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suũ reclinet*; quod itidem ipsius nativitas, quæ in stabulo contigit, luculenter convincit. Itaque Evangelista Ioannes, quando Christũ inter nos habitasse dicit, peculiari vocabulo utitur, ἐσκήνωσεν inquit, non κατοίκησεν. Illud proprie scenam vel tabernaculum, hoc domum erigere est. Tabernaculis autem, tentoriis & scenis utuntur peregrinantes, quæ portatiles sunt, & in diem locũ mutare possunt, quod viatorum, exulum, & militantium est: Exulavit igitur & militavit apud nos Christus in his terris, non habitavit proprie. Porrò sicut qui in locis desertis & peregrinis versantur, etiãsi domi valdè sint divites & potentes, tamen pro ratione temporis & re nata omnis generis defectum, tempestates, injurias, famem & sitim, æstum & frigus perferre, seque ad nutũ reliqui comitatus confirmare coguntur: Ita Christus quoque licet dives fuerit in terris, factus tamen est, pauper nostri causa in terris 2. Corinth. 8. ver. 6. *non ducens rapinam Deo esse æqualis.* Phil. 2. v. 6. neque detrectans extremam servitutem & miseriam quam imperabat temporis & loci tyrannis, & officii sui, cujus causa venerat, conditio, *per omnia nobis similis.* Ebr. 2. v. 17. *tentatus in omnibus absque tamen*

peccato. Ebr. 4. v. 15. Et denique ſicut exul & viator non poteſt ſemper contingere fontes aquarum limpidos & ſalubres, ſed ex quovis torrente, qui primo obvius eſt, hauſtus impuros fœtidos & inſalubres ſæpè boni conſulere cogitur, ita Chriſtus quoque tempore exinanitionis ſuæ deductus eſt ad torrentem aquarum impuriorum, ex quo guſtavit amaritudinem *fontium Belial*, Pſalm. 18. v. 5. & prælibavit acerbitatem fluenti ſulphurei & ſtygii & quicquid in calice Iræ & furoris Dei ex torculari divino deſpumante ſanguinem labruſcarum commiſtū fuit, Eſa. 5. v. 4. Apoc. 19. v. 15. Ut ita merito ſuæ huiꝰ prolibationis dulcoraret & conciliaret nobis aquas vitæ ſalientes in vitam æternam, Ioan. 4. verſ. 15. utque nos tandem deduceret ad ripā *fluvij puriſſimi, ſplendidiſſimi & Criſtallini, vehentis aquam vivam procedentem de ſede Dei & agni*, Apocal. 22. v. 1. faceretque illic nos conquieſcere in perennitate gloriæ æternæ, quam nobis ſua paſſione & morte gratis comparavit.

III.

Monemur etiam hîc de conformitate cum CHRISTO. Si enim CHRISTVS viator, peregrinus, & exul fuit in his terris, cuius tamen *eſt tota terra & omnis plenitudo eius*, quantò magis nos homines; quibus neque vita neque mundus unquam datus eſt mancipio, ſed uſui

tantùm, exules, peregrini, viatores, imo & advenæ erimus in hoc mundo, quod David ultro fatetur 1. Paralip. 30 v. 15. *Peregrini*, inquiens, *sumus coram te, & advenæ sicut omnes Patres nostri.* Quapropter nostrum interesse ducamus jus advenarum & peregrinantium in nos libenter suscipere, & pro nostra parte ferre mundi injurias, tempestates, famem, sitim, paupertatem, eò quod conformes esse debemus imagini filii Dei. Rom. 8. v. 29. & in hac via nobis quoque bibendum est ex torrente cum Christo, & *sumendus calix salutaris Domini de manu ipsius*, Psal. 115. ver. 13. & certa fiducia freti esse debemus, quod amaritudinem calicis, quem nos bibimus, CHRISTVS plenè exhauserit, nobis autem tantùm primoribus labris sorbillandam & libandam aliquam ὀδύνην reliquerit, non in expiationem peccatorum nostrorum, sed præservationem.

IV.

Status passionis & mortis Christi, tam est meritorius & salutaris, ut quia Christus non dedignatus est bibere ex torrente in via, humano quidem generi salutem amissam recuperaverit, ipse verò per se fructú illius uberrimum consecutus sit, glorioſam sui exaltationem. Per particulam enim *Propterea* exaltationis quasi causa ponitur antegressa humiliatio, planè ut à Paulo Philip. 2. v. 8. dicitur: *Humiliavit semetipsum, factus est obediens usque ad mortem*

tem, mortem autē crucis propterea & Deus exaltavit illum. Idem multis docetur Esa. 53. ver. 12. Hic enim perpetuus tenor est τῆς ἀξεως divinæ, ut gloriam præcedat humilitas Prov. 15. ver. 33. adeo ut ne quidem ipsa Christi caro in plenarium usum gloriæ & majestatis suæ transierit nisi per viam passionis & humiliationis. Quod ipsum nobis commendat primo efficacem vim humiliationis ipsius Christi, deinde præstantiam & dignitatem huius virtutis, cuius si ad imitationem Christi studiosi fuerimus, fructuum etiam illius reddemur participes.

V.

Exaltatio capitis CHRISTI signum perpetuum reportatæ victoriæ est Domini nostri Iesu Christi, quod passioni & morti non cesserit, multo minus Diabolo succubuerit, sed ipsius potius caput contriverit sub pedibus suis, ipse vero caput suum salvum inviolatū & erectum reduxerit. Atq; hoc ipso declaratus est filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione, ut inquit Paulus Rom. 1. v. 4. Quàm pulchrum autem sit hoc caput in Apocalypsi pingitur cap. 1. v. 14. *caput eius & capilli eius erant candidi veluti lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tanquam flamma ignis.* Quod sūū caput altissimè extulit Christus, adeo ut exaltatus sit in summā sublimi-

tatem, ſicut habet Emphaſis verbi ὑπερύψωσεν Phil. 2. ver. 9. *Datus* enim *eſt in caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ, conſtitutus ad dexteram patris in cœleſtibus, ſuper omnem principatum & poteſtatem & virtutem & dominationem, & ſuper omne nomen quod nominatur*, Eph. 2. v. 20. Quouſque cum exaltaverit Chriſtus caput ſuũ, non eſt quod opus habeat ullâ galeâ, contra inſultus Tyrannorum, Iuliani, & ſimilium: nimis ſublimiter enim exaltavit caput ſuum, quo ipſi telis & ſclopetis ſuis penetrare non poſſunt. Nos verò coram hoc erecto & exaltato capite abijciamus nos religioſiſſimo adorationis cultu in pulverem coram ſcabello pedum ipſius, & adoremus ipſius Chriſti caput & totam humanam carnem in unione, & expectemus ab illo certam & indubitatam capitum noſtrorũ erectionem & exaltationem à morte, quia enim filius Dei capita noſtra impinguavit oleo ſpiritus Sancti & fidei ſalvificæ, Pſ. 23. v. 5. exaltabit & ipſe capita noſtra: Sic. ut hac conſolatione David vicit, cùm Pſal. 3. v. 4. inquit: *Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea & exaltans caput meum.* Quod ipſe faciat in univerſali reſurrectione omnis carnis benedictus in ſecula, Amen.

OCTAVVM VATICINIVM.

DE MISSIONE SPIRITVS SANCTI,

IOEL. 2. 28

Et erit post hæc: effundam Spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ: Senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Sed & super servos meos & ancillas in diebus illis effundã Spiritum meum. Et dabo prodigia in cælo & in terra, sanguinem & ignem & vaporẽ fumi. Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis. Et erit omnis qui invocaverit nomen (Heb. *in nomine Domini*) *salvus erit: Quia in monte Sion & in Ierusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus, & in residuis, quos Dominus vocaverit.*

ARGV-

ARGVMENTVM HVIVS VATICINII.

VErba hæc Prophetæ Ioëlis edunt clarum vaticinium de regno Messiæ venturi, quale nam futurum id sit in his terris, videlicet spirituale. Cuius regni duo maximè solennes & illustres sunt actus: Primus actus est, quo Christus primùm fecit huius imperii sui auspicium, & susceptâ sessione ad dexterâ Dei patris, seipsum per missionem Spiritus sancti regem toti mundo declaravit, & plenariam usurpationem suæ majestatis omni populo ostendit. Secundus est, quo judiciariam suam potestatem tandem regaliter exequetur, & invictissima majestate hostes suos pedibus subiiciet & conteret, omnesque principatus, qui huic regno suo bellũ unquam moverunt, evacuaturus est. Hi duo actus maximè illustres sunt in regno Christi, quorũ ille primordium, hic finem huius imperii (quoad modum gubernationis in hoc visibili mundo) concernit. Atque primus ille actus declaratus est post ascensionem in feriis primæ Pentecostes in novo Testamento sub adventum Christi primum. Alter adhuc superest, eritq; in novissimo die post ultimum & secundum Christi adventum celebrandus. De utroque

Actu

Actu regni huius vaticinatur Propheta Joël in his verbis, quos conjungit Propheta, haud secus sicut Angeli isti qui Actorum 1. apparuerunt discipulis ad montem Olivarum illos conjungunt, ver. 11. Itaque duæ erunt huius Prophetiæ partes:

Prima Pars agit de majestatico auspicio & declaratione regni Christi, quod per missionem Spiritus sancti visibilem maximopere illustratum est.

Secunda docet de regali Christi reditu ad extremum judicium, omnibusq; antecedentibus & consequentibus hunc adventum.

ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ *SEV DEMONstratio Argumenti.*

ANtequam ad uberiorem explicationem textus progrediamur, necessariũ & tutum omnino est, certa atque immota videre fundamenta, quibus nitatur Prophetię huius tùm expositio tùm applicatio, quam indicabimus. Possunt enim & solent multa à multis contrà moveri, & sensus Prophetiarũ in dubium vocari, aut alio trahi, quod tamen in hoc vaticinio minus evenit, quam in aliis. Nam ipsi Rabbini largiuntur, quod Prophetia hæc referenda sit ad tempus futurum Messiæ, in quo abundanter Spiritus sanctꝰ quo ad donum Prophetandi, sit dandus. Etsi vero illi

alium.

alium sibi cum omnibus Iudæis Messiam præter Iesum nostrum, frustra somniant, tamen hoc grata ab illis accipimus manu, quod nolentes volentes veritati manus dare & concedere cogantur, textum hunc de ipso Messia eiusque regno loqui; Qui cum alius non sit quàm Dominus noster IESVS CHRISTVS, quod alias ex tota sacra Scriptura luce meridiana clarius est redditum, facilè sequetur, Prophetiam hanc in tempora regni Iesu Christi cadere. Huc si addamus ex Sacris nostri testamenti paginis historiam, quæ prima post ascensionem Christi Pentecoste accidit, res ipsa loquetur, DEVM per Prophetam Joëlem multis annis ante prædixisse stupendam & illustrem illam Spiritus sancti in Apostolos suos effusionem. Quo testimonio longè adhuc major nobis est Petrus, qui in ipso actu missionis Spiritus sancti, ad populosissimam ex omnibus gentibus concionem, hunc textum Joëlis non tantum allegavit, sed & constanter per illum refutavit irridentes dona spiritus sancti per calumniam ebrietatis, & evicit irrefragabiliter, completam esse hodiè hanc Joëlis Prophetiam; cum inquit Actor. 2. v. 15. *Non sicut vos existimatis hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia: Sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioël: Et erit post hæc, &c.* Quasi dicat, nunc completur per hanc miraculosam lingua-

guarum & donorum Spiritus ſancti dationem, quam oculis coram intuemini, illud, quod Joël prædixit, qui in Spiritu hunc actum prævidit: hoc igitur, quod videtis fieri, idipſum eſt, quod Joël ante prædixit, & contrà, quod Joël prædixit, nihil aliud ſibi vult, quàm quod hic nunc coram fieri videtis. Hæc teſtificatio Petri tantum abeſt ut reprehenſa fuerit aut improbata à quopiam, in cætu tot ibi congregatorum millium, ut etiam per hanc Petri concionem converſæ ſint animæ quaſi ter mille uno die. Quo immoto Petri teſtimonio nixi, cum tota Eccleſia nos quoque vaticinium hoc ſecundum Apoſtolicam mentem rectè interpretamur & intelligimus. Quod de prima parte huius oraculi extra omnem eſt controverſiam.

Altera verò pars, ut verba ipſa expreſsè ſonant, non de præſenti iſto actu, ſed de futuris quibuſdam poſt hunc actum vaticinatur, puta de alio quodam die, non minus magno, ſed plus terribiliori; qui quiſnam intelligendus ſit, non eſt eadem planè omniũ interpretum ſententia. Quidam enim magnum & terribilem illum diem Domini, intelligunt diem reſurrectionis Chriſti & prodigia accipiunt illa miracula, quæ in morte, poſt mortem, & in ipſa reſurrectione Chriſti facta ſunt, uti ſunt terræ motus, rupturæ veli & ſaxo-

saxorum, eclipses & tenebræ supra modum horribiles. Quæ sententia aliquid videtur habere incommodi quod in ordine Prophetiæ huius committit ὕστερον πρώτερον, cum Propheta præmittat effusionem Spiritus sancti, ortui huius terribilis diei, unde interrumpitur perpetua totius Joëlis catena historica, quam paulò post suo loco notabimus. Interim non negamus, quod sicut dies resurrectionis Christi multa habet cum extremo universalis resurrectionis die communia, ita non statim uno sensu posito alter plane excludi debeat, sed si maximè de die resurrectionis Christi hic textus accipiendus sit, sic tractandus est, ut tamen de die extremæ resurrectionis principaliter loqui intelligatur, ad quam spectat quoque ipsa Christi resurrectio, utpote præludium aut certè primitiæ resurrectionis nostræ, ut Paulus loquitur. Alii qui verba prodigiorũ & signorum de stupendo effectu conversionis mundi per prædicationem verbi Apostolicam allegoricè accipiunt, enervant, (uti fit in nimio allegoriarum studio) sensum literalem & historicum, & plura pingunt quâ delineant, quod tamen sine ullius præjudicio dictum volumus. Nobis maior cura debet esse certæ & veræ sententiæ, quæ alia esse non potest, quam literæ seu historiæ. Ut igitur verba sonant, Prophetam de die extremi judicii

dicii & de prodigiis signis & miraculis, quæ illum præsagiunt, loqui statuimus. Nunc ad ipsam explicationem Prophetiæ propositæ descendemus.

PARAPHRASIS PRIMÆ PARTIS.

DEVS per Prophetam, cuius ore tanquã instrumento utitur, sic inquit: *Et erit* seu res nova magna quædam & insolita eveniet *posthæc* omnia quæ hactenus prædicta sunt: id quando futurum sit Petrus explicat cum novissima tempora appellat in Actis: in ultima videlicet illa postremi seculi tempora innuens, in quibus Deus in filio suo nobis locutus est, qui novissimi dies dicuntur Hebr. 1. vers. 2. Connectitur enim hoc vaticinium per hanc temporaneam clausulam *(post hæc)* superioribus, & in perpetuam catenam historiæ temporum, de quibus Joël in libro suo Prophetico vaticinatus est, redigitur. In initio enim suæ Prophetię sub forma gravis querelæ prædixerat Propheta, quid passurus esset populus Israel ab Assyriis, quos miris coloribus prosopopœiæ, sumptæ ab insectis, describit, atque hoc nomine jusserat ejulare omnes regni incolas cuiuscunque hi sint status & conditionis, inter cæteros nominatim etiam Sacerdotes & ministros Altaris, quod videli-

cet clades imminens non tantum invasura sit arbores, h. est. Magistratum seu statum Politicum, qui Ezechiel. 31. v. 3. & Daniel. 4. vers. 9. per arbores præfiguratur, nec tantum quoque Sponsum & sponsam, agricolas & armenta in in statu Oeconomico: Sed & Ecclesiasticum sit misere invasura, atque penitus eversura totum Dei cultū, sacrificia, libationes, & omne religionis purioris exercitium: Unde maximè opus fore contenderat jejuniis & precibus. Promiserat etiam Propheta nomine Dei liberationem ab hostibus, vindictam, recuperationem bonorum temporaliū, & restaurationem Politiæ & Oeconomiæ. Addiderat autem (quod maximè huc facit) promissionem singularem de restaurando cultu divino post reductionem ex captivitate Babylonica, nomine Dei promittens, repositum illum iri in locum pristinum, instaurato denuò templo, ac vrbe, per Nehemiam & Esdram, ut postea evenit; docentibusque iterum in repullulante Ecclesia doctoribus justitiæ, sicut cap. 2. v. 3. loquitur, quales fuerunt Haggæus, Zacharias, Malachias, & qui subsequentibus Machabeorū temporibus cultum Iudaicum servarunt, & qualescunque alii justiciæ Doctores fuerunt usque ad tempora novissima, hoc est, ultimam mundi partem, in quam plenitudo temporis incidebat, quo Christus veniebat in carnem. Ita tandem sequitur, postquam hæc

omnia

omnia sic ordine non interrupto completa sint, futuram hanc abundantem Spiritus sancti effusionem. Quæ continuatio historica, catenatim ex Joele contexta, monstrat nobis successum, & cum successu intellectum huius vaticinii, quod implendum erat, post videlicet denuo restauratum, & in illa restauratione utcunque persistentem cultum templi Iudaici. Tunc enim exhibito & ingresso in majestatem regni sui Messia Iesu Christo, dicit Propheta, imo dicit Domin⁹ per os Prophetæ *effundam*, & non parca sed exundanti quadam copia emittã *Spiritum sanctũ*. Quæ effusio sine Physica aut locali evacuatione vel etiam emanatione intelligenda est, ut quæ in essentiam Deitatis illocalem & indivisibilem non cadat: Vult enim Deus tantum dicere & docere, gratiosam Spiritus sancti inhabitationem in cordib⁹ credentium, tam futuram esse illustrem, ut ceu rupto quodam gurgite videatur Spiritus sanctus, erupisse in corda hominum. Missurus enim sum, inquit Deus hunc Spiritum tunc temporis *super omnem carnem*, non habito amplius discrimine certæ alicuius nationis aut gentis, sed de Spiritu meo (ut Petrus recitat) sive dona Spiritus mei effundam etiam in ipsas gentes, pro conditione & natura novi illius regni Messiæ, ad quem etiam gentes convocabuntur, destructa macerie inter gentes & Iudæos. Quod eo magis suspi-

ciendum est, quia Deus hunc Spiritum suum non Angelis aut Angelicis naturis, sed hominibus qui *caro* sunt & dicuntur, in carnalibus concupiscentiis geniti, & nil sunt nisi fœnum, promittit se largiturum. Atque Spiritus ille datus, non erit certè ociosus, sed facier, ut donati hoc munere specimina illustrissima edant motuum spiritualium in sese: Nam impulsore Spiritu sancto agitati, & repleti ἐνεργείᾳ spirituali prophetabunt & proferent arcanam rerum divinarum, & animali homini incognitarum doctrinam, quam & ipsi intelligent, & alios intelligere facient: eruntque *Videntes*, qui inspicient clara luce per beneficiũ radiorum Spiritus sancti omnes Prophetias, quas dextrè interpretari & beneficio linguarum eloqui valebunt, eruntq; *Prophetæ* non tàm futura prædicendo, quàm prædicta explicando; in quibus ita sequentur impulsum Spiritus sancti, ut quasi emota mente, aut certè ab humanis conceptibus alieniſſima prolaturi sint inaudita Dei oracula. Hoc dicere vult Joël. Nam sciendum est, vocabulũ *Prophetandi* non uno modo in sacra Scriptura accipi, aliàs enim in stricta, aliàs in latiore, aliàs in latissima significatione, sicut & nomen *Prophetæ* sumitur. In stricta significatione *prophetare* significat vaticinari, vel futura antequam eveniant prędicere, ut Luc. 1. v. 67. Zacha-

Zacharias prophetavit, cũ quid de filiolo ſuo futurum eſſet prædixit: Ut & Caiphas prophetavit de morte Chriſti, quia Pontifex erat: Atque ita Lex & Prophetæ uſque ad Ioannem prophetarunt, Matth. 11. v. 14. In latiore autem ſignificatione ſumitur, cum non de futuris tantum, ſed quibuſcunque arcanis revelandis maxime iis, quæ ad agnitionem nominis divini & fidem faciunt, agitur; Ita *Prophetare* idem ſonat quod myſteria Dei tradere, docere, & Scripturam ſecundum analogiam fidei interpretari, quæ ſignificatio oſtenditur nobis ab ipſo Paulo Rom. 12. ver. 6. cum inquit: *Prophetiam ſieri debere ſecundum analogiam fidei.* Tandem in latiſſima ſignificatione non ſignificat tantum hunc unum ſacram Scripturam interpretandi actum, ſed quæcunque myſtica officia peragere, ut 1. Samuel. 10. v. 10. Cætus Prophetarum occurrebant Sauli prophetantes in Pſalteriis, tympano, tibiis, h. e. laudantes Dominum, orantes, canentes, benedicentes Deo, & ſi quid eſt huiuſmodi: Atque ſic Paulus 1. ad Corinth. 14. ver. 3. loquitur: *qui prophetat, loquatur ad ædificationem, ad exhortationem, ad conſolationem.* Ergo conſolari aliquem in adverſis, exhortari ad ſectandam pietatem in vita, ædificare aliquem & erudire in doctrina fidei, legendo, diſputando, concionando, mente, calamo,

lingua, idipsum erit prophetare. In summa, quicquid Spiritus sanctus donorum effundit, id hoc nomine comprehenditur, sicut varia genera donorum 1. ad Cor. 12. v. 8. enarrantur. Quæ omnia complectitur Propheta Joel hoc unico vocabulo: præcipuè unà respiciens in linguarum varietatem, quam excitaturus sit Spiritus, videlicet ut sicut Prophetæ in veteri Testamento mittebantur quorsumcunq; Deus eos impelleret; ita in novo Testamento Apostoli quoque à Spiritu sancto adjuti abire possent, sine impedimento insciticæ linguarū, in omnem terram, quocunque Deus illos mittere vellet, edendo simul miracula magna, sicut olim etiam Prophetæ doctrinā suam miraculis confirmarunt. Neque tamen in novo Testamento virtus futura prædicendi interim planè quievit in Apostolis, quin & hoc (quamvis non principaliter) sæpè quoq; effecerit S. sanctus, sicut & Christus promiserat Ioan. 16. v. 13. *quæ futura sunt spiritus Sanctus annunciabit*, ut exempla Prophetiarū extant, D. Pauli 1. ad Timot. 4. v. 1. & 2. ad Tim 3. v. 1. Item Petri 2. cap. 3. v. 3. Et Ioannis in Apocalypsi patet. Et Eusebius ex Apollinario Prophetas novi Testamenti recenset lib. 5. ca. 17. suæ historiæ, Agabum de quo Act. 11. v. 28. & cap. 21. v. 10. Iudam, Silam, filias Philippi Actor. 21. ver. 9. Amniam Philadelphiæ, Quadratum: Qui tamen

men omnes non de futuro aliquo Messia prophetarunt, sed eventus quosdam ad Politiam, Ecclesiam & Ecclesiæ Doctores pertinentes præviderunt & prædixerunt. Tantum promisit Deus, cui & eventus præcisè respondit à tempore primæ Pentecostes.

Nunc audiamus quinam illi sint, qui sic prophetaturi sint; Pergit enim Deus & dicit, *Prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ*: Non hoc faciet tantum unus & alter, ut alioquin in Veteri Testamento rarum erat hoc donum Prophetandi, & solis filiis Prophetarum non admodum magnæ frequentiæ condebitum: Nunc autem cum magno numero exercendũ sine discrimine generis, familiæ, aut etiam sexus: facient enim hoc *filij vestri cum filiabus vestris*, ut hoc donum Spiritus sancti etiam ad fœminas se extendat, sicut legimus Actorum 1. v. 14. fuisse in cænaculo, quo Apostoli convenerant & Spiritũ sanctum accipiebant, perseverantes unanimiter in oratione, Mariã matrem Iesu, cum aliis quibusdam haud paucis mulieribus, qui Spiritũ sanctum simul acceperunt, & paulo ante quatuor filiarum Philippi prophetantium meminimus. Et donum hoc prophetandi in Apostolica Ecclesia valdè mulieribus fuisse familiare, evidenter colligitur ex Paulo 1. ad Corinth. 11. vers. 5. cum de mulieribus prophetantibus hunc

ſancit ordinem, ut velato capite orent & prophetent. Neque apud Deum erit in diſpenſatione horum donorum ætatis reſpectus, nam & *Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuvenes veſtri viſiones videbunt*: Ita enim loquitur Propheta mutuo ſumens hanc loquendi formulam ex præſenti ſuo tempore, in quo Deus his modis ſe revelare ſolebat, ut promiſit Num. 12. ver. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum*: per quos modos revelationum prædicit Propheta, quam ingens copia & lumen veræ agnitionis & revelationis Dei paſſim per orbem terrarū futurum ſit; non quod Deus hos amplius modos in novo Teſtamento frequentaturus ſit, ſed (ſicut ſolent Prophetæ phraſibus ſui temporis futura prænominare) id quod ante per viſiones & ſomnia præſtiſterat Deus, nunc immediatè per effuſionem Spiritus S. ſit effecturus in credentibus. Speciebus igitur revelationum denominatis genus debet ſubintelligi. Sicut enim viſiones & ſomnia erant arcanæ revelationes, quibus Deus aperiebat ſuam voluntatem hominibus, ita in novo Teſtamento non tantum ſenſibili & viſibili, ſed & inſenſili arcano modo Spiritus ſanctꝰ in cordibus credentiū operabitur converſionem, & accendet fidem, ut cognoſcant ex hac divina revelatione, quæ ſit voluntas

Dei

Dei de salute generis humani, & agnoscant DEVM patrem, & quem misit filium suum Iesum Christum: quomodo enim dilucidius sese revelare Deus potest, quam per agnitionem sui filii mittendo Spiritum sanctum, qui nos omnia docet, qua nulla potest esse visio clarior? Sed & quod magis est, effundet hisce modis Deus Spiritum suum super *servos & ancillas*, genus hominum aliàs coram mundo despectissimum, pauperes, piscatores, & eos qui nec familia nec conditione personæ illustres sunt, atque tam abiecti, ut potentiores in illos sibi potestatem vitæ & necis præsumant, habeanturque viva cum jumentis operarum viliorum organa; in illos quoque tam largè beneficus erit Deus, ut Spiritum sanctum sit quoque effusurus super illos, & hoc dono quasi illustres redditurus, inque lucem protracturus, quo cum aliis fiant æqualis conditionis, & reddantur communionis bonorum Spiritualium participes: ne in novo filii mei Iesu Christi regno in his terris, quo ad animæ salutem, sit respectus & prærogativa, cum nemo ex sanguinibus neque ex potestate carnis, sed qui ex Deo natus est, Deo acceptus sit. Hoc erat magnum & illustre beneficium: quod reservabatur usque ad tempora Messiæ in novo Testamento, & inceptũ est impleri in solenni & visibili illo missionis

Spiritus S. in Ierusalem actu, qui diu postea in primitiva Ecclesia tempore Apostolorum permansit, ubi Deus super baptizatos & conversos sensibili & visibili modo Spiritũ sanctum effudit: Nunc autem inde ab exordio Ecclesiæ, usque in finem mundi invisibili & arcano modo in corda credentium effunditur per verbum & Sacramenta, quibus suam præsentiam Spiritus sanctus alligavit, per quę operatur veram fidem, & accendit in mentibus hominum tales motus, qualis est ipse.

LOCI COMMVNES.
primæ partis.

I.

QUia audimus Prophetam Joëlem hanc Prophetiam in ipsius Dei persona eloqui, atq; ita Deum per os Prophetę hoc vaticinium edere, quod ex illius ore postea Petrus Apostolus haurit; docemur, quanta doctrinæ Prophetarum & Apostolorũ tribuenda sit autoritas: Videlicet verbum illorum non nasci in humanis buccis, aut ex humana afferri voluntate, sed ipsius Dei verbum esse, quod in illis vel per os illorum Deus λόγος interveniente afflatu Spiritus sancti loquatur, ut verissimè canit Zacharias in hymno suo Luc. 1: vers. 70. *Dominus Deus Israël locutus est*

per

per os sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum eius. Et David ipse 2. Samuel. 23. v. 2. de se inquit: *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam:* Et in Epistola ad Hebr. cap. 1. v. 1. dicitur: *multifariam multisq; modis Deus locutus est patribus in Prophetis vel per Prophetas.* Et Petrus inquit 1. cap. 1. v. 20. *Omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit, non enim voluntate humana aliquando allata est Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Unde fit quod omnes libri sacri toties inculcent: *factum est verbum Domini ad Prophetam: Hæc dixit Dominus*, & similia. Qua summa laurea merito Scriptura Prophetarum & Apostolorum insigniri debet, quod hæc solùm Θεόπνευστος sit, ut Paulus dicebat 2. ad Timoth. 3. ver. 16. Quoties ergò illud profertur, tanquam ad vocem Dei oportet nos subsistere, & hinc omnem scientiam, sapientiam & certitudinem haurire.

II.

Dum Petrus concionem suam orditur & fundat in Joële Propheta, discimus, summâ harmoniam Prophetarum & Apostolorum: simulq; fundamentũ doctrinæ Christianæ esse veritatem per Prophetas revelatam. Tantùm enim abest, ut Apostoli aliquid alieni à Prophetarum doctrina proferant, ut etiam suam

am doctrinam verbis illorum ad numerum citatis confirment & muniant, & quasi fundamento fidem Christianam super-ædificent, ut loquitur Paulus Ephes. 2. v. 20. Atque hinc fit, quod toties Christus & Apostoli Articulos fidei sic claudant & roborent: *hoc factum est ut impleretur Scriptura.* Et Iacobus in manifesto concilio notat hanc harmoniam Actor. 15. v. 15. *Huic*, inquiens, *concordant verba Prophetarum sicut scriptum est.* Et propterea ibidem dicitur ver. 11. *per gratiam Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.* Non ergo alia veritas, non alia salvandi est via in novo Testamento, quàm in Veteri fuit, cum utrumque Christum respiciat, sicut in eleganti typo duorum Cherubin in arca fœderis Exod. 25. ver. 20. præfiguratum est, qui respiciebant se mutuo versis vultibus in propitiatorium; Unde docemur, facies duorum Testamentorum ad se mutuo conversas in unum propitiatorium, qui est Dominus noster Iesus Christus, Rom. 3. v. 25. respicere & collimare.

III.

Controversiarum Ecclesiasticarum Iudicem sacram Scripturam esse, hîc notat Petr⁹, dum ad hoc nostrum Joëlis confugit testimonium. Litigantibus enim & male sentientibus auditoribus, de missione Spiritus Sancti, Iudicem controversiæ Joëlem summus Apostolus

stolus facit: Non nescíens illud Esaiæ 8. v. 20. *Ad legem & testimonia, si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit illis lux matutina*: Unde ipse sibi & aliis regulam construxit, 1. Pet. 4. vers. 11. *Qui loquitur, loquatur tanquam Dei verbum*: Adeo usque se dimittit magnus hic Apostolus, quã largissimè etiam Spiritu sancto nuper donatus, ut se suamque concionem & fidem de Articulo missionis Spiritus sancti Scripturæ Propheticæ judicatrici subijciat. Ubi miranda imò detestanda contrà est Papæ Romani pervicacia, qui cùm in omnibus se Petri successorem hæreditarium glorietur, in hoc tamen sequi omninò nolit, ut videlicet, se suamque doctrinam Scripturæ judicio submittere possit, sed authentica autoritate scrinium, sui pectoris, in quo omnis veritas lateat scilicet, omninò cupit prælatum. Sanè si in scrinio pectoris alicuius quærenda fuisset controversiarum decisio, tam repletum Spiritu sancto habuit hoc tempore Petrus scrinium, ut nunquam ullus Papa æqualem Spiritus sancti mensuram expertus sit sine omni controversia, nec tamen ille quid sibi videretur, sed quid Joël dixisset, auditoribus proponere voluit & debuit: aliàs enim non visiones Spiritus sancti, sed cordis sui visiones potiùs protulisset, quæ extremè damnantur apud Ieremiam cap. 23. v. 16. *Hæc dicit Dominus, nolite audire*

audire verba Prophetarum, qui visionem cordis sui loquuntur non de ore Domini, seu (quod idem est) qui ex scrinio pectoris sui loquuntur, non ex revelatione verbi. Absit ergo nos visiones scrinii cordis Papalis audire velle, Scriptura nobis loquatur. Et in hoc qui Petro succedit, verè successor Petri dicendus est, qui recedit, recessor.

IIII.

Habemus & hic magnum præscientiæ divinæ argumentum, quæ tam certa & infallax est, ut rectius γνῶσις quam προγνωσις in Deo dici possit. Hanc enim Deo revelante intuentes Prophetæ (qui ob id etiam *Videntium* vel *speculatorum* nomen habent 1. Sam. 9. v. 9.) potuerunt infallibiliter prænunciare ea, quæ multis annis post evenerunt. Sicut Joël noster, nongentis ferè annis antè vidit hanc miraculosam Spiritus sancti missionem, & prædixit, nimirum non ex humana præscientia (quæ vel nulla vel conjecturalis & fallax est) sed ex Dei evidentissima revelatione. Ventura enim infallibiliter posse prædicere, hoc Deus sibi soli, ut singulare axioma, reservat & tribuit. Esa. 41. v. 23. Quod & Iacobus Act. 15. v. 18. effert, *Nota sunt,* inquiens, *Domino à seculo omnia opera sua.* Quia sicut 2. Pet. 3. v. 3. dicitur, *Vnus dies est apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus.*

Testi-

V.

Testimonium habemus de vera Deitate Spiritus sancti, quem hic Deus suum dicit esse Spiritum, ut et Psalm. 33. v. 6. *Spiritus oris eius* dicitur qui coëssentialis est Patri & Filio: Certum enim est, tàm Patrem quàm Filium, per os Prophetarum locutum esse. De Patre nemo dubitabit, de Filio apertè Petrus 1. cap. 1. v. 11. ait, quod Spiritus Christi fuerit in Prophetis: Ergo Spiritus sanctus tàm Patris quàm Filii Spiritus est, & tàm Patris quàm Filii os Spiritum hunc spirant; cum igitur in Deo nihil evanidum, nihil accidentale esse queat, sed omnia sint essentialia in ipso, ergo Spiritum sanctum verum & coëssentialem Patri & Filio esse, necessariũ est credere contra Pneumatomachos, damnatos in Nicea Bithyniæ lib. 9. Historiæ Tripartitæ cap. 14.

VI.

Porrò docemur hîc, quod Spiritus sanctus discreta sit Persona à Patre & Filio. Est enim alius qui loquitur, & alius qui loquentis esse pronunciatur; & alius qui effusurus est, alius qui est effundendus: Quod revera subsistere nõ posset, si una tantum indiscreta & confusanea in Deitate persona acciperetur. Atque igitur, quia alia persona est quæ effundit, alia quæ effunditur, rectè Hypostatica discretione Spiritum S. à Patre & Filio mittente & effundente differ-

differre pronunciamus. Et sic distinctam à Patre & Filio personam vult etiam Christus Ioan. 14. v. 16. cum Spiritum sanctum nominat ALIVM paracletum, quem ipse missurus est à Patre, qui mansurus sit apud discipulos in æternum. Et in Baptismo uti Pater à Filio discreta persona numeratur, ita quoque Spiritum sanctum ab utroque distingui, verba institutionis Baptismi convincunt.

VII.

Distinguenda est missio Spiritus sancti à processione. Missio enim seu effusio Spiritus promittitur & quasi alligatur tempori, cum in futuro de subsequenti olim miraculosa effusione Deus promissionem faciat: Processio autem characteristica est proprietas Spiritus sancti, qua ab æterno in æternum sine temporis concretione vel respectu distinctus est Spiritus sanctus à Patre & Filio. Etsi igitur missio Spiritus sancti à Patre & Filio præsupponit processionem à Patre & Filio personalem, tame illa duo accuratè distingui debent, ut ipse Christus exquisite distinguit Ioan. 15. vers. 26. *Cum autem Paracletus venerit, quem ego mittam à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Duo ibi verba ἐλθῇ & ἐκπορεύεται habentur, quorum illud egressionem missionis in tempore, hoc egressionem vel processionem

à Patre

à Patre & Filio ab æterno spirantibus denotat. Quod & Theophylactus in Ioannem cap. 15. exquisitè annotat, cum inquit: *Naturalis subsistentia Spiritus est processio. Singularis quædam & separata proprietas est procedere, uni proprio spiritui attributa. Non igitur intelligemus per Processionem, simplicem emissionem, sed naturalem ex patre subsistentiam.* Quo observato discrimine facilis erit solutionis id, quod contra æternitatem Spiritus sancti ex capite 7. Ioannis v. 39. Et ex Actis 19. v. 2. afferri solet: *nondum erat Spiritus sanctus*: videlicet quod hoc non de processione sed de promissione & quidem visibili seu miraculosa Spiritus sancti intelligi debeat.

VIII.

Deum duplicem usurpare modum mittendi Spiritum sanctum impletio huius Prophetiæ Joëlis testatur in Actis: unum visibilem & miraculosum, qui incurrebat in sensus exteriores, quo Spiritus sanctus assumpta quadam forma visibili illapsus est in eos, ad quos veniebat: Qui modus satis confirmata Evangelii veritate, in Ecclesia tandem cum miraculis & dono linguarum desiit. *Linguæ enim in signum sunt infidelibus.* 1. ad Cor. 14. ver. 22. hoc est, infideles debebant tali spectaculo convinci, ex ore horum Apostolorum petendam esse doctrinam per quam Spiritus sanc-

ctus daretur, ut ita doctrinæ fides conciliaretur, quo fine in Ecclesia impetrato, cessabit hoc signum, uti jam amplius superfluum. Alter modus invisibilis est, qui adhuc in Ecclesia durat, durabitque usque ad finem mundi, de quo Christus loquitur Ioan. 3. v. 8. *Spiritus ubi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis unde veniat & quò vadat.* Hic modus præsentiæ & operationis Spiritus sancti, non potest mente capi, nedum sensibus exterioribus comprehendi. Atque hoc insensibili modo veniebat Spiritus sanctus in animas ter mille, quas uno die ad agnitionem Christi, Baptismi susceptionem & pœnitentiam convertebat, & usque modo operatur in credentibus.

IX.

Unum esse Spiritum, dona autem Spiritus esse multiplicia discimus ex harmonia Petri & Joëlis: Quod enim Joel dicit; *effundam Spiritum meum.* Id Petrus effert hoc modo: *effundam de Spiritu meo*; non quod hic sit dissonantia, sed quod Joel unitatē Spiritus, Petrus autem varia & differentia dona ex unitate Spiritus promanantia respiciat. Deus enim carptim quasi & per mensuras secundum gratiam dividit Spiritus sancti charismata, Roman. 12. v. 6. Interim tamen unus est idemq; Spiritus, ut Paulus inquit 1. ad Cor. 12. ver. 6. *Divisiones operationum sunt, idem verò Deus qui operatur*

ratur omnia. Simplex igitur est Spiritus sanctus per essentiam, septuplex autem (ut in Apocalyp. cap. 4 septem Spirituũ fit mentio) seu multiplex ratione donorum & charismatum, quæ operatur in diversis subiectis. Atque non nuda charismata & dona Spiritus sancti sine essentia Spiritus dari putemus, ut fuerunt quidam in ea sententia, sicut refert Lombardus lib 1. dist. 14. sed & ipsam personam quoad suam substantiam. Quomodo enim vocaretur Spiritus Patris aut filii, Spiritus meus, si hic dona tantum Spiritꝰ sancti significaret?

X.

Quod Deus Spiritui sancto tribuit nomen effusionis, sumpta Metaphora ab aqua, id nos de suavissimis spiritus sancti officiis admonere debet. Dicitur enim Spiritus sanctus *Aqua*, Ioan. 7. v. 38. *Qui crēdit in me*, sicut dicit Scriptura, *flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ*. Hoc autem dixit de Spiritu, 1. Quia purgat nostras sordes, 2. Quia omni vitæ succo & humore destituimur; Spiritus sanctus autem limpidissima aqua è fontibus Israëlis hausta, ita nos irrigat, ut non sitiant, qui biberint, in æternum Ioan. 4. ver. 14. quo pertinet & promissio Esaiæ, qui Joeli nostro concinit cap. 44. v. 3. *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam, effundam Spiritum meum super semen tuum.*

XI.

Facultatem interpretandi & intelligendi Sacram scripturam, non oriri ex humano ingenio, sed peculiare esse Spiritus sancti donum. Prophetare enim, hoc est, Scripturas interpretari, Apostoli non poterant, antequâ Spiritus sancti per promissionem Dei gratuitam redderentur participes: Hinc Christus Ioan. 16. v. 13. *Ille cum venerit, docebit vos omnem veritatem.* Et 1. ad Corinth. 2. v. 10. dicitur; *nobis revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Et quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* Hinc cœcitatem & ignorantiam suam fateantur omnes, & ab illo patre luminum præsertim studiosi Theologiæ verum sensum Scripturæ petant; Ut jubet Iacobus Epist. sua cap. 1. v. 5. & dicant Deo: *Sensum tuum ô Deus quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis?* ut extat prolixa precatio lib. Sapient. cap. 9.

XII.

Modum usitatum Spiritui sancto interpretandi sacram Scripturam, praxis Apostolicæ citationis nobis ostendit, in qua Apostolus sua verba examinat & confert ad analogiam Propheticam, nimirum dicta veteris Testamenti explicanda esse per novum, & res novi Testa-

Testamenti fundamentum sortiri ex Veteri, ut ita Scriptura per Scripturam explicetur, quod Paulus nominat ἀναλογίαν τῆς πίστεως, Roman. 12. v. 6.

XIII.

Quia Deus promisit Spiritum sanctum, & effudit quoque in Apostolos, non ut essent ocioſi, sed in hunc finem, ut prophetarent & perfungerentur ministerio verbi cum magna majestate, & prædicarent Evangelium, discimus, quo medio inposterum Deus contribuere velit Spiritum suum sanctum, nempe per officium Spiritus solenniter semel in Apostolos effusi. Verbum igitur quod per Spiritum sanctum prædicarunt Apostoli, Organon est, cui se Spiritus S. alligavit, & per quod illabitur in aures & corda credentium: Ut Paulus asseverat Galatas accepisse Spiritum sanctum ex auditu fidei cap. 3. ver. 2. tanquam Organo mediato, quo Deus Spiritum sanctum missurus sit, contra Enthusiastas. Hoc ergo medium qui abijcit & pessundat, directe Spiritum sanctum oppugnat, & nunquam eius redderur particeps; Aut si habuit Spiritum S. Epicureo contemptu vel negligentia verbi iterum expellet.

XIV.

De supereminenti prærogativa novi Testamenti præ Veteri. In Veteri enim sparsim

& raro dabatur donum prophetandi, quod in novo Testamento est cum inexhaustâ effusione, de qua etiam Jeremias 31. vers. 34. vaticinatur.

XV.

Φιλανθρωπία Dei in Spiritu sancto nobis occurrit, quod ipse verus & substantialis Deus non dedignatur se demittere in animos hominum carnalium, qui ex carne nati, & peccatis obnoxii sunt, & non sunt nisi fœnum ut Esai. 40. ver. 6. dicitur: ibique vult mansionem facere, Ioan. 14. v. 23. Demus igitur operam, ut hospitium Spiritus sancti servemus sanctum, ne ex illo, quod aliàs per se indignum est tanto hospite, denuo emigret.

XVI.

De vocatione gentium, ad quas etiam majestas effusionis Spiritus sancti pertingit. Nam cum in regno Christi non sit Judæus aut Græcus, sed omnes unum simus in Christo Iesu, omnes semen Abrahæ, & secundum promissionem hæredes, Galat. 3. ver. 28. quomodo omni carni & per consequens illis etiam qui ex gentibus originem trahunt promissionis arrhabo denegetur? *Eandem* enim, inquit Petrus, *gratiam dedit illis Deus sicut & nobis, & cæpissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos*, Act. 11. v. 15. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit illis, dans illis Spiritum sanctum

sicut

sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum, inquit iterum Petrus in concilio Hierosolomitano Act. 15. ver. 8. Sicut ergo eadem est ratio causæ instrumentalis fidei in Iustificatione omnium hominum, ita & causa efficiens justificationis & regenerationis eademest, sine gentium ullarum discretione.

XVII.

Donum interpretandi sacram Scripturam non ad unũ aliquem Aristarchum Ecclesiarũ novi Testamenti alligatũ, sed omnibus Ecclesiæ membris per Spiritũ S. operationem commune esse. Prophetabant enim seu docebant & interpretabantur S. Scripturam juxta hanc prophetiam, tàm seniores quàm juniores, tàm filii, quàm servi, adeò, ut ne quidem muliebris sexus, sive quæ sint filiæ, sive ancillæ, ab hoc interpretandi munere excluſæ sint. Apud Deum enim non est liber aut servus, mas vel fœmina Gal. 3. v. 28. Et licet propter διδασκαλίαν publicè munus docendi in Ecclesia mulieribus derogatũ est, tamẽ non ob id per omnia & in universum interpretandi Sac. Scripturas judicium vel secũ, vel ad alios privatim, ut ad familiam domesticã vel in aliis quibusdã necessitatis casibus, derogari potest. In summa quemlibet Christianum et Christianam oportet scire satisfactionem & rationem de spe &

fide propria, & satisfactionem insuper reddere posse debet suæ fidei 1. Pet. 3. v. 15. Hinc Paulus totam appellans Ecclesiam, *ut prudentibus*, inquit, *loquor, vos ipsi iudicate* 1. ad Cor. 10. v. 15. Hæc est prudentia Christiana illa, quam Antichristus Romanus sacrilegè ad se solum rapit, & supra concilia etiam, imò supra S. scripturam suum judicium collocat, quasi ad illum solum pertineat donum dandi verum scripturæ intellectum, quod tamen Deus totii Ecclesiæ & omnibus membris per Spiritum Sanctum commune fecit.

XVIII.

Credendam esse communionem Sanctorum omniumque bonorum spiritualium. Nam ubi servis, ancillis, filiis, filiabus, senibus, juvenibus ipse spiritus Sanctus ex æquo communis est, iis certè non potest deesse communio bonorum, quæ ex Spiritus sancti thesauro depromuntur, ut sunt, una fides, unum Baptisma, unus Dominus, una spes vocationis nostræ, unum corpus, unus pater omnium, qui super omnes, per omnes, & in omnibus est, unum verbum, una remissio peccatorum, & si quæ sunt alia, de quibus Paulus Ephes. 4. v. 4. Hæc bonorum communio pertinet ad omnes ex æquo, ut non minori jure infimus homuncio Christianus vendicet sibi

jus

jus utendi Sacramentis, audiendi verbum, quàm ſummus mundi Monarcha: Per unum enim ſpiritum omnes in unum corpus baptizati ſumus, & in unum Spiritum potati 1. Cor. 12. v. 13. unde & Paulus honorificè Oneſimum appellat ſuum filium quem genuit: item ſua viſcera, & qui eſſet ſervus quidem conditione, ſed fide frater chariſſimo Domini ſui Philemonis. Epiſt. ad Philemon. Et 1. ad Timot. 6. v. 2. Paulus admonet ſervos ne abutantur fraternitate quam cum fidelibus Dominis habent. Hæc verè eſt bonorum communio inter Chriſtianos, ad quam nihil facit, quòd Anabaptiſtæ de temporalium bonorum Platonica communione delirant.

XIX.

DEUS in ſuis miniſtris nec alligatus eſt, nec alligari debet ad certum ætatis demenſum, qui & ſpiritum ſuum dat, tàm juvenibus quàm ſenibus. Ita Deus in Veteri Teſtamento magna ſæpe per adoleſcentes effecit, tùm per Prophetias docendo, tum per gubernationem regendo populum: ut David & Salomon in adoleſcentia uncti ſunt ſpiritu Sancto. Ioas puer adhuc ad regnum venit 4. Reg. 11. v. 12. Jeremias volebat ſe per pueritiam excuſare, ſed Deus, ne faciat grauiter contradicit Jerem. 1. v. 7. Daniel puer adhuc judici-

um pro Susanna de senibus iniquis sapienter tulit. In novo Testamento Paulus adolescens adhuc, ut ex Actis cap. 7. vers. 58. colligi potest, ad Apostolatum electus est: Et Timotheum genuinum suum filium Episcopum juvenem adhuc creavit, addens: *nemo contemnat adolescentiam tuam.* 1. ad Timoth. 4. v. 11. Nam ut est Sapient. 4. v. 9. *Sapientia vera est canities.* Irrationalis igitur, imò contra Scripturam est Bonifacii Papæ canon distinct. 78. c. si quis. Ubi sic ait: *Si quis triginta ætatis suæ annos non impleverit, nullo modo presbyter ordinetur, etiamsi valdè dignus sit.* Atque ibidem c. Presbyter. *Presbyter ante 30 annorum ætatem, non ordinetur, quamvis sit probabilis vitæ.* Ita apud illos plus annorum numerus quam dignitas vel probabilis vita valet: quasi verò Spiritus S. adstringat se ad certam ætatem, & quasi in adolescente χαρίσματα Spiritus sancti minus honoranda sint quàm in senibus, qui etiam sæpè sunt pueri centum annorum, ut loquitur Esaias cap. 65. ver. 20. Pessundat ergo hic canon Papisticus dictum Pauli & libri Sapientiæ, Prophetiam Joëlis, & inculpata multorum Sanctorum exempla. Melius sentit Ambrosius de Acholio lib. 8. Epist. 60. ubi elegánter inquit: *Benedictus processus iuventutis ipsius, in qua ad summum electus est sacerdotium,*

maiore

maturo iam probatus virtutum stipendio. Vere senectus illa venerabilis est, *quæ non canis sed meritis albescit. Ea est enim reverenda canities, quæ est canities animæ in canis cogitationibus, & operibus effulgens.* Sic ille. Quod ipsum etiam ut singulare Spiritus sancti beneficium per Prophetam hic promissum celebrandum est.

XX.

Supra communem & habitualem doctrinas discendi modum, est adhuc alius peculiaris, quo Deus immediatus Doctor, non per crebras actiones & progymnasmata, sed modis planè novis & extraordinariis sapientiam largitur: Ut in Salomone operatus est Sapientiam. 3, Reg. 3. vers. 12. qua in re non unâ procedit Deus semper formâ. Quibusdam enim viris sanctis per visiones, ut Petro Actor. 10. v. 9. Quibusdam per somnia, ut Josepho, Matthei 1. vers. 20. Et Magis, Matthei. 2. v. 12. Quibusdam per angelos, ut Mariæ, Luc. 1. v. 28. Quibusdam per colloquium, ut Paulo Actor. 9. ver. 20. Quibusdam à facie in faciem, ut Moysi. Deut. 34. ver. 10. Quibusdam per stellas, ut Magis Matt. 2. v. 2. Quibusdam per ἐκστάσεις & raptus, ut Paulo 2. Cor. 12. v. 2. Scientiam hanc (θεόπνευστον propter-

ea di-

ea dictam) manifestavit. Quæ omnes Apparitionum formæ omnino revocari debent ad immotam Dei scripturam, *si qui* enim *non dixerint iuxta verbum hoc, non erit illis lux matutina* Esai. 8. v. 20. Quod θεόπνευστον scientiæ genus singulare est solius Ecclesiæ κειμήλιον, neque extra illam quærendum: Quod enim Abimelecho & Nabuchdonosaro futurorum scientiam in somno aperuit Deus, id non ad Prophetantium dignitatem, sed ad Ecclesiæ utilitatem per dispensationem (ut Nissenus ait libro de creatione hominū cap. 14.) est factum. Frustra ergo Plato in Timeo Ethnicus, de suo ingenio quasi diffidens, ἐπαμψιν καὶ θεῖον λόγον requirit. Et magis fruſtraneum & falsum est, quod idem in Jone de mendacibus Ethnicis Poëtis ait, οὐχ ἕτοι εἰσὶν οἱ ταῦτα λέγοντες ἀλλ' ὁ θεὸς αὐτὸς ἐστιν ὁ λέγων, διὰ τούτων δὲ φθέγγεται πρὸς ἡμᾶς: *Non sunt illi qui hæc dicunt, sed Deus est ipse qui loquitur, per hos enim nobis hæc inclamat*, Nimirum quod Plato de sanctis veræ Ecclesiæ Dei Prophetis dicere debebat, hoc ille denugacibus gentilium Poëtis turpiter nugatur. Nos vero qui in Ecclesia sumus, hanc inde concipiamus consolationem, quod licet Deus nos magno ingenii acumine & memoriæ validitate per naturam non donavit, neminem tamen à literis animum abdicare debere, & desperare, quandoquidem Deus plures habeat

beat modos quibus nos erudire possit, quam quæ sinant nos de Dei bonitate diffidere.

XXI.

Esse certa quædam somniorum genera, quæ θεόπνευστα dicuntur & divinitus immittuntur, quod omnino negabat Aristoteles lib. de divinatione somniorum : qui retunditur per exempla somniorum Jacobi Patriarchæ, Josephi, Nabuchdonosari, & aliorum infinitorum. Juxta Propheticæ autem phraseos explicationem Euangelicam discimus, Deum cessasse nunc in Novo Testamento per insomnia loqui, ut quod & illa sint pars non levis umbrarum, quas abrogatas testatur Epistola ad Hebræos 10. v. 1. Meritò igitur non attenduntur fanatici illi, qui novos religionis sacræ articulos sibi ex insomniis dolosis & procul dubio à Diabolo contra analogiam fidei immissis, cudunt.

SECUNDA PARS PROphetiæ.

PARAPHRASIS.

SEcunda pars Prophetiæ hujus nunc sequitur, in qua agitur de altero solenni actu regni Christi, quo ad ultimum venturus est judicium. Ponit autem Propheta ipsum diem in quo hic actus peragendus est, quem appellat *diem Domini magnum & horribilem*, e-

jusq;

ſuſq; diei tàm antecedentia quàm conſequentia enarrat. Antecedentia ſunt ea omnia, quæ inſtantem diem ſunt denotatura. Conſequentia vero deſignant ſalutarem illam Catastrophen, qua invocantes in nomine Domini, h.e. omnes credentes æterna ſalvatione liberabuntur. De ſignis antegreſſuris diem hunc Domini, ita pergit loqui Deus per os Prophetæ: *Et dabo prodigia in cœlo & in terra*: quia videlicet compariturus eſt Dominus è cœlo iis, qui in terra degunt, & commoturus tàm ſuperna quàm inferna, ideo quaſi prodromi huius tam ingentis commotionis præmittentur Deo dante ſeu ordinante prodigia ſtupendaq; miracula, quæ ſignificabunt diem Domini prę foribus iam eſſe & imminere. Quæ vero prodigia illa futura ſint, addit; *dabo* inquiens, *ſanguinem, ignem, & vaporem fumi*: ſub nomine ſanguinis immanes & truculentas intelligit Tyrannorum ſanguinolentorum maximè Antichriſti tàm Orientalis quàm Occidentalis perſecutiones, ſanguiniſq; Chriſtiani effuſiones: quales non fuerunt ab initio mundi uſq; modo: Diabolus enim circa finem mundi gravius per ſua hæc organa ſævict quam antea: ſciens quod modicum tempus habeat, Apocal. 12. v. 12. & ſcortum Babylonicum Papam Romanum ebriũ reddet ſanguine ſanctorum & de ſanguine Martyrum Ieſu, Apocal. 17. ver. 6.

per

per inquisitione Hispanicam & alios sanguinolentos Satellites, sicut hoc tristissimo seculo aliquandiu factũ est, & adhuc fit quotidie. Atque Gog & Magog sagittis & arcu potens, circumdaturus est civitatem Domini, quod non sine multo sanguine fiet, eritq; tribulatio & anxietas magna, & audientur bella & opiniones bellorũ undique & undique, tradentque populũ Dei in tribulationem & occident. Hoc vult Propheta per nomen sanguinis. Reliquis duobus vocabulis generaliter comprehendit communem omniũ prodigiorum materiam, quæ tunc futura sunt: Nam ignem & vaporem fumi quod attinet, sunt illa universalis & remota materia omnium impressionum cœlestium in regione sublunari, unde Meteora, cuiuscunque illa sunt generis nascuntur: ἀναθυμίασις enim sive exhalatio secundum physicos vel vaporosa est, vel ignea: unde postea tanquam ex communi semine generantur omnis generis Meteora, ut fulmina, fulgura, cometæ Aconeii, Xiphidii, Chasmata, prodigiosæ in cœlis figuræ, exercitus inter se dimicantes, armorũ sonitus & si quæ sunt huiusmodi: quibus quasi suis exercitibus dominus exercituum prænunciat & minatur iram suam, in extremo die super omnes impios plene effundendam. Atque hisce virtutibus DEVS multa prodigiose efficiet, in sub-

mer-

mersiones urbium, pagorum, eversiones ædificiorum, turrium, sylvarum per incendia, & conflagrationes, per magnos turbines, & id genus alia unde rebuspublicis publicæ & funestæ clades inducentur. Neque tantum elementa elementarisque regio in præsagium diei extremi commovebuntur, sed & æthe. ria regió quam Physici negare volunt mutationibus obnoxiam esse: fient enim Eclipses in Sole & Luna & Stellarũ lapsus, sicut Christus Matth. 24. Marc. 13. Luc. 17. explicatius illa persequitur, quando procul dubio huc respicit: Nam *Sol convertetur in tenebras*, non tantum frequenti interceptione luminis solaris, sed & nobis & magis stupendis obtenebrationibus, ut tempore passionis Domini, aut in Ægypto factum legimus, cum nec Luna quidem datura sit lumen, quæ & ipsa in sanguinem convertetur, & colorem nigrantem sanguine induit; quo referri etiam debent generationes novarum stellarum in æthere, ut disputant quidam eruditi de stella, quæ anno 72. & 73. in clunibus Cassiopeæ apparuit. Hæc autem omnia præcurrent, antequam veniat *dies Domini magnus & horribilis*, ut sint videlicet signa, cùm μαντικὰ, vaticinantia de mox instanti die judicii, tum ἀποδεικτικὰ demonstrantia & certificantia infallibilitatem & veritatem minarum & promissionum

num

num omnium, hoc ultimo die certo complendarum. Nominatur autem hic *dies Domini magnus & horribilis* multis de causis: Vere enim magnum illum diem judicii esse oportet, in quo Iudex magnus imo maximus est, videlicet Deus ipse, qui *solus magnus & terribilis* dicitur, Deut. 7. v. 21. & quo nihil in mundo maius est. Deinde magnus erit etiam ratione partium citatarum ad hoc judicium, videlicet totius mundi, quandoquidem omnes potentes, omnes Monarchæ, omnes reges, omnes principes, & quicquid magnatum unquam fuit ab initio usque ad finem mundi, una cum potentissimo mundi principe Diabolo, in hoc actu sint comparituri velint nolint: Quid? quod & magnum huius diei judicium sit futurum ratione sententiæ, quæ erit de summa rei, hoc est, de æterna vel damnatione, vel salute, qua nihil maius cogitari potest. Atque quàm magnus tàm quoque est terribilis futurus hic dies. 1. quia subitaneus & inopinatus erit: deinde quia quicquid unquam terrorem incussit aut incutere potuit, id uno quasi torrente exundabit, puta ira Dei, conscientię terror, mortis horror, inferni metus: In summa quoquò te vertas, habes unde horrescas: vertici enim tuo imminebit terribilis majestas severi Iudicis, sub plantis tuis infernus pandet os suũ, ante te lucebit majestas angelica,

post te ululabunt Diaboli, à sinistris grex damnatorum erit stridentiũ dentibus, à dextris chorus salvandorum laudantium Dominum, quidnî ergo hinc horror & metus. Veruntamen quærat aliquis ex propheta, an hic dies magnus omnibus ex æquo futurus sit terribilis, an nulla ullis salvatio? Respondet Propheta, maximè futurum quibusdam salvationem, inquit enim: *Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*, quasi dicat: sit sanè dies ille Domini magnus & terribilis, tamen non cedet in terrorem & damnationem exæquo omnibus: Nam erit ibi multitudo quædam super, eorum *qui invocant nomen Domini*, vel, (ut in fontibus est) qui in nomine Domini invocant, verè pii, qui ex fide didicerunt rogare Deum patrem in nomine Christi & ab illo omnem salutem exspectare, hi omnes, ut verè credentes (*quomodo enim invocent in quem non crediderunt*, Roman. 10. v. 14.) extra omnem erunt terrorem in hoc die judicii, eruntque salvi. Hinc jam facilè intelligi potest, quis sensus sit, quod unicuivis indiscriminatim invocanti nomen Domini salus promittatur: videlicet quod sermo hic sit de talibus invocatoribus, qui nomen Domini in nomine Domini invocant: ij enim qui dicunt, *Domine, Domine*, videntur quidem nomen Domini invocare, vel potius vocare, sed quia sine fide

cum

cum hypocrisi invocant absque spiritu & veritate, ideo in nomine Domini non invocant, atque ita neque exaudiuntur, neque intrant in regnum cœlorum. Quare verò hi invocatores tantum salvi erunt, & non omnes homines? *Quia in monte Sion & in Ierusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus*: didicerunt, vult dicere, hi credentes attendere verbis promissionũ quæ dixit Dominus, in quibus Deus se declaravit, quòd elegerit sibi peculiarem populũ, ex quo promisit egressurum salvatorem Messiam Dominum nostrum Iesum Christum, & in illo populo habere se montem Sion & urbem Ierusalem, cui velit alligatam tempore veteris Testamenti Ecclesiam suam verumq; sui cultum: omnes igitur qui ex hoc monte exspectarunt salutem, & ad illum se congregarunt, atque ita vera fuerunt huius Ecclesiæ membra, applicaruntque sibi vera fide ea, *quæ dixit Dominus*, hoc est, promissiones de Messia, illis continget die illo salvatio & liberatio ab omni metu & severitate judicii: Atque hi erunt illi credentes qui ante Christum natum vixerunt. Sed & ne quis nesciat, quid cum *residuis* post natum Christum futurum sit, an etjam ex illo cœtu futuri sint, qui salvationis participes sint reddendi, ait, non minus rem se habere cum *residuis*, quorum plurimi quidem Judæi non sunt sanguine, sed tamen à

Domino vocati sunt universali prædicatione Evangelii per Apostolos, per quos Deus effundendo Spiritum suum sanctũ, ut antea dicebat, super omnem carnem, collecturus sit Ecclesiam, nulli loco, nulli populo alligatam, adeò ut si quis sit etiam in hoc cœtu residuorum verum vivumq; membrum, ille quoque particeps sit futurus liberationis & salvationis in illo die. Hi enim residui sunt illæ aliæ oves, quæ non sunt ex ovili judaico, quas tamen & ipsas Christus dicit adducendas, ut fiat unum ovile & unus pastor, Ioan. 10. v. 16. & quas Paulus appellat *reliquias*, qui repudiatis Judæis in locum illorum tandem sunt asciti. Quod autem hic verus sit sensus horum verborũ, & per *residuas* non possint alii ulli quam gentes respectu Judæorum intelligi, id evidenter Paulus ostendit, qui hunc textum ad destruendam distinctionem Judæorũ & Græcorum allegat, Rom. 10. v. 12. Atque ita haud obscurè innuit, textum hunc propheticum de Ecclesia, ex utraque gente constante, accipiendum esse.

Loci Communes.

I.

QUia DEUS daturus prodigia, ideo non oportet nos dubitare, anne sint quædã prodigia & an certum sit denunciari futu-

futuros eventus per insolita quædam Meteora, aut monstra, aut terræ motus, aut Eclipses, aut cometas, aut chalmata, aut id genus alia, sicut Lucanus & alii multi stoici dubitant: Quin potius fideles exspectent à Deo sic prædictos eventus cum ardenti pœnitentia, emendatione vitæ & morum in timore Domini, & tanquã ex ficu protrudente gemmas, discant instare diem salvationis nostræ, Matth. 24. v. 32. Quæ prædictiones non sunt tantum, ut Philosophi putant, materiales, & naturæ limitibus conclusæ, sed Theologicæ seu hyperphysicæ, quarum abdita & secreta significatio, non nisi ex revelata voluntate Dei in Scriptura petitur.

II.

Ex prodigiosis significationibus futurorum eventuũ certum habemus testimonium, mundum ab aliqua mente non errante, omnipotente, omnipræscia & libera conditum esse, regi & tandem destrui: Idque non tantùm præscientia quadam otiosa, sed & providentia actualiter operante, disponente & moderante res humanas in mundo, ut inquit Deus: *dabo prodigia*: neque enim in astris essent futurorum eventuum significationes, aut novæ insolitæ formæ in Elementis, nisi mens aliqua infinita antea prospiciens omnia ordinasset hoc modo cœlestes motus, & gubernaret in-

feriorem naturam, ita ut signa existerent, ut ex prima creatione manifestum est, quando Dominus dixit Gen.1.v.14. *fiant luminaria in firmamento cœli & dividant diem & noctem, & sint in signa.* Atque ita vult Deus dando hæc prodigia & signa ostendere, quod licet regularem cursum mundi hac lege constrinxerit, ut *dies diei eructet verbum, & nox nocti indicet scientiam,* Psalm. 19. v.3. *atque nox & dies non requiescant,* Gen.8.ver.22. tamen nihilominus se esse numen liberum, non alligatum ad causas secundas, *quod convertit in mane tenebras & diem in noctem mutat, qui vocat aquas maris & effundit eas super faciem,* Amos 5.v.8. videlicet qui hunc ordinem mutat, & mutare possit & elementis huius mundi uti, quando & prout ipse vult, atque ad iram per peccata hominum, vel per resipiscentiam & preces, ad misericordiam commovetur.

III.

Sanus usus prodigiorum aspectuumque prodigiosorum hic disci & observari debet, qui duplex est, vel ut homines terreantur, vel ut erudiantur. Erudire vult Deus fideles de certitudine promissionum editarum; terrere infideles confirmando simul certitudinem minarum suarum & furoris de peccatis generis humani, utrumque in hunc finem, ut multi ad pœnitentiam convertantur. Ita, exempli gratia,

gratia, aspectus mirabilis & stupendus Iridis, signum est gratiæ de non amplius futuro diluvio universali, atque simul signum est furoris Dei, de deletione totius primi mundi ob scelera impietatis per aquas. Et hoc est quod Deus vel rarò vel nunquam rem magnam, sinit evenire, cui antea non præmiserit aut præmittat signa & miracula, cùm ad erigendos fideles, tùm ad terrendos impios ad pœnitentiam agendam. Ita sunt hæc prodigia præcones reales, qui concionantur nobis ipso opere, id quod Deus per linguas suorum ministrorum frustra sæpè declamavit. Referri huc debent omnia prodigia, quæ stante Christo in ara crucis evenerunt, quæ etiam sanum hunc usum consecuta sunt apud centurionem, & qui cum eo erant cruci adstantes, qui dicebant: *verè filius Dei hic fuit*, colligentes nimirum ex tot prodigiis, vera esse omnia, quæ hic Iesus antea oretenus fuisset concionatus. Ut & huc quadrant illa horrenda signa, quæ excidium Ierosolymitanum antegressa sunt, de quibus legatur Iosephus lib. 7. de bello Judaico, cap. 12.

IV.

Cum Deus ipse dicat daturum se sanguinem effundendum manu persecutorum Ecclesiæ, qui occidunt fidos Dei ministros, videmus non temerè aut sine Dei cura & attentio-

ne evenire, quod persecutiones Ecclesiæ oboriuntur: Permittit enim Deus certis quibusdam de causis pios suos affligi, & sæpenumero extreme occidi, sic tamen, ut ultra metas permissionis divinæ tyrannidem suam extendere non possint Ecclesiæ hostes, sicut Christus inquit de semetipso ad Pilatum: *non haberes potestatem de me, nisi tibi data fuisset à supernis*, Ioan. 19. v. 11. Quicquid igitur huiusmodi sanguinolentorum consiliorum, vel etiam persecutionum in nos nostrosque statuitur, id ex manu Dei accipiamus & toleremus cum patientia, scientes quod *capilli capitis nostri sint numerati*, Luc 12. v. 7. *& quod ne unus quidem decidat absque Dei voluntate*, & cogitemus nos militare sub illius tutissimo patrocinio, quod in horto potenter de suis edidit contra hostes quam maximè furibundos, inquiens, *finite hos abire*: quâ voce adhuc hodie nobis salvum conductum acquisivit, ut tuti esse possimus ab hostilitate omniũ persequentium nos, quam diu Deo sic visum fuerit, ut sit nomini suo glorioſum, donec tandem hora instet, in qua nos quoque martyribus annumerandi simus, & sanguinolenta morte nostra Deum glorificare debeamus.

V.

Quia dies Domini extremus, futurus est magnus & terribilis, & signa per se futura sunt

sunt terribilia, ideo peropus nobis esse cogitemus consolatione, qua animi contra illos terrores muniantur. Discamus igitur singulari pietatis artificio καὶ βίαιον convertere ea, quæ per se terribilia sunt, in materiam consolationum, quam sola Logica Spiritus sancti subministrat. Exempli gratia, Deut. 7. ver. 21. dicitur, quod Deus sit magnus & terribilis, & ob id jubet populum Dei præsenti esse animo: *Non timebis*, inquiens, *quia Dominus DEVS tuus in medio tui est, Dominus magnus & terribilis, ipse consumet hostes tuos in conspectu tuo*: Quod rectè ad extremum diem discamus applicare, tunc enim finalis consumptio hostium nostrorum fiet in conspectu nostro, per hunc Dominum magnum & terribilem. Quod cum ita sit, jam certe ille Deus non erit nobis terribilis, sed hostibus nostris, de quibus tandem, vindictam sumet, & terribili hac sua vindicta, qua in medio nostrûm est, veram consolationem & pacem æternam nobis acquiret, sic iisdem aspectibus, quibus impii terrebuntur & deiicientur, nos erigemur.

VI.

Discimus etiam hinc, diem extremum duplicis esse conditionis, & quidem contrariæ, pro partium videlicet diversitate. Duo enim erunt partium genera, quidam erunt impii, quibus hic dies maximo erit terrori, eò quod

cauteriis conscientiæ pravæ, impietatis & incredulitatis notati sunt; qui verò erunt pij, invocantes nomen Domini. Illis dies hic orietur *dies iræ*, Rom. 2. v. 5. Apocalyp. 6. ver. 17, itemque *dies Iudicij & perditionis*, 2. Petr. 3. v. 7. Hisce autem illucesceret ut *redemptio*, Luc. 21. v. 28. Rom. 8. v. 23. Et ut *tempus refrigerij & restitutionis omnium*. Actor. 3. v. 20. & 21. Impij igitur habent tantum quod hunc diem formident, quis verò nostrûm timeat redemptionem, refrigerium, & restitutionem suam, quin potius flagranti desiderio à Deo adventum illius petat & exspectet?

VII.

Quomodo vera invocatio debeat esse constituta, docet PROPHETA cum invocari vult *in nomen* seu *in nomine Domini*: Primò enim nihil aliud vult, præterquam quod verus DEVS invocari debet, Deuteron. 6. v. 13. Psalm. 50. v. 15. Invocatio enim tribuit invocato illa ἀξιώματα quæ merè divina sunt, & extra Deum in nihil aliud cadunt, ut quod invocatus sit omnipotens, misericors, possit, velit succurrere, sit scrutator cordium, ubique præsens, ubique exaudiens. Deinde ut forma invocationis ita conformetur, ut oratio tantum acquiescat in nomine Domini, qui est promissus Messias Iesus Christus, sicut in hoc nomine orat Daniel cap. 9. v. 18. Et si omnino est oran-

orandum ut Christus monet Ioan. 16. vers. 23. Complectitur autem oratio quæ fit in nomine Domini duo maximè, videlicet 1. fidem in Deum, 2. Voluntatem Dei: nemo enim invocare potest nisi habeat fidem invocantem, simulq; certam fiduciam de auxilio subsecuturo. Deinde complectenda est voluntas Dei in Christo, ut non tantum de voluntate exauditionis certus sis, sed & ea quæ petis, cum moderamine voluntatis divinæ (si bona sunt temporalia) exspectes. Utriusque, hoc est, tàm fiduciæ quàm voluntatis Dei meminit Ioannes 1. cap. 5. v. 14. *hæc est*, inquiens, *fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos*. Omnes ergò qui sic orant, veri sunt adoratores, adorantes in Spiritu & veritate, qui etjam exaudientur, & tandem ad vitam æternam transferentur.

VIII.

Nullum majorem cultum Deo præstari posse invocatione, & nullum majus malum esse, quàm DEVM non invocare: Si enim *omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*, sequitur, ut omnis qui non invocaverit nomen Domini, non sit salvus futurus: Quodnam autem majus bonum æterna salute est, & æterna damnatione quid deterius? quod tamen

men summum bonum & extremum malum, huic cultui & neglectui huius cultus adscribitur. Quocirca multum valere apud Deum invocationis cultum necesse est: quod etiam non potest non esse; nam sicut, qui Deum invocat, in ipsum credit, atque Deum hunc veracem, clementem, auxiliatorem, misericordem fatetur, ita qui non invocat, is non credit in illum, negatque illum veracem, clementem, auxiliatorem, & contra mendacem, vanum & impotentem blasphemat, qua blasphemiâ nihil potest cogitari gravius. Graviora autem sunt peccata quæ plura mala uno nexu complicant; præstantiores sunt virtutes, quæ plura habent bona coniuncta. Disamus igitur orationis cultum magnificare, & frequenter usurpare, ut cum omnibus nomen Domini invocantibus salvi fiamus.

IX.

Intra Ecclesiam salus est, seu ut Propheta loquitur, *in monte Sion & in Ierusalem est salvatio*; & contra, extra Ecclesiam non est salus. Sicut enim in arca Noe Gen. 8. erat salvatio, & extra illam mera perditio, ita quoque res se de Ecclesia ceu Dei navicula habet. Quicunque igitur animæ salutem expetit, huic se arcæ includat, inclusum servet per Christum Argonautam, qui hanc arcam dirigit, & ostium

post

post nos claudit, donec ad portum vitæ æternæ deducamur.

X.

Per figuram montis, quâ Ecclesia denominatur, pingitur Ecclesiæ conditio, quæ nunquam latuit aut latere potest, sed facilè omnibus, ut mons præeminens, conspiciendam præbet, sicut Christus Matth. 5. v. 14. de civitate supra montem posita, quæ abscondi nequit, loquitur. Ita Ierusalem civitas Dei sita fuit quasi in vmbilico terræ, in eminentissimo & illustrissimo omnium mundi partium loco, quo esse potuit in oculis omnium gentium: Quod ita à Deo factũ est, ut omnes nationes ad hunc locum confugere, atque inde veram veri Dei agnitionem & cultum petere, si vellent, possent. Quo facit interpretatio uocabuli *Sion*, qua Ecclesia præfiguratur adstipulante Epistola ad Hebr. 12. v. 22. Quod vocabulum alii *altam speculam*, alii *signum*, *titulum* aut *scopum*, alii *vexillum* interpretantur, nimirum ad quod omnes homines adspirare & collimare debeant. Etsi sanè mons hic qui est Ecclesia non quavis ætate & tempore æqua claritate illustris est, interjectis videlicet à Diabolo, tyrannis, hæreticis, nonnullis nebulis, tamen lucernâ pedum nostrorum, quæ est Sacra Scriptura, nebulas discutiente, diu celari non potest.

Notan-

XI.

Notanda hìc etiam doctrina eſt illa, quam Paulus Apoſtolus protenſo indice oſtendit, Rom. 10. ver. 12. cum inquit: *Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci, Nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum: Omnis enim quicunq; invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Ubi monet ſic univerſalitatem vocationis Dei in hoc dicto accipiendam eſſe, ut Deo nulla imputetur προσωπολημψία tùm receptionis ad gratiam, tùm exauditionis omnium invocantium ſe, ſive is ſit origine Judæus, ſive Ethnicus. Nam Deus etiam Ethnicos tanquam *reſiduos* univerſali ſua vocatione ad montem ſuum ſanctum, ex immenſa miſericordia & bonitate erga totum genus humanum vocari, vocatos Spiritu precum donare, & precantes exaudire omnino voluit & vult. Sed de hac doctrina in prima parte huius Prophetiæ prolixius dictum eſt.

FINIS SCHOLÆ PROPHETICÆ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767502272/phys_0402
DFG



HAMBVRGI,
Excudebat PAVLVS Langius,
Sumtibus Frobenianis.

ANNO CIↃ. IↃC. VI.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767502272/phys_0404
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767502272/phys_0405
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767502272/phys_0406
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767502272/phys_0407
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn767502272/phys_0408
DFG

quod quęramus in pect ... mi no-
ſtri Pontificis, Jeſu Chr ... n vera
imagine inviſibilis Dei ... etis in-
terim, & planè valer ... us illis
Judaicæ Synagogæ o ... tuſque
Moſaici veteris, Levit ... monia-
rum gemmulis, ſitu & ... penitus
præ hac luce obductis ... s.

X

Quoniam Zachari ... prædi-
cat ſtatum Eccleſiæ N ... ti, ut in
eo omnem lucis & t ... ciſſitu-
dinem tollat, & veſpe ... ſculum
Novi fœderis medio di ... tamen-
ti præferat, admonem ... ine Ve-
teris & Novi Teſtamen ... uange-
lii, Moſis & Chriſti, d ... prolixè
& eleganter diſſerit. 2. ... quiens:
Si miniſtratio damnationis ... ltò ma-
gis abundat miniſterium ... . verſ.
11. *Si quod evacuatur, per* ... *ltò ma-*
gis quod manet, in gloria eſt ... ur tan-
tum diſcrimen inter ut ... am, ut
ob eminentem majeſt ... m, qua
præſtat Euangelii doc ... ngeli-
um, Lex omni ſua gl ... m con-
ferri mereatur. Nam ... lior eſt
in Novo, quam fuit ... Veteri,
quàm Lucidum futuru ... ipſum
... meri-